BIBLIOTECA NAZ.LE
XXVI*
A
32
NAPOLI
116
B
92

116
B
92

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

JO. MARTINI CHLADENII D.

SACRO-SANCTAE THEOLOGIAE ELOQVENTIAE AC POESEOS IN ACADEMIA FRIDERICIANA ERLANGENSI PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII TEMPLIQVE ACADEMICI ANTISTITIS

OPVSCVLA ACADEMICA

VOLVMEN SECVNDVM

THEOLOGICA HISTORICA PHILOSOPHICA

COGITATA COMPREHENDENS.

LIPSIAE

Sumpt. HAEREDVM LANCKISIANORVM.

ANNO CIↃ IↃCCL.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

VIRO ILLVSTRI

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

CHRIST. LVDOVICO

STIGLIZIO,

ICTO,

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS AC ELECTORIS SAXONIAE A CONSILIIS BELLI SANCTIORIBVS, ET PROVOCATIONVM, SCABINATVS LIPSIENSIS ASSESSORI, CIVITATIS CONSVLI ET AEDIS D. THOMAS ANTISTITI.

Digitized by Google

VIR ILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME.

Quemadmodum mercatores totius ferme Europae emporium Lipſienſe aut commeando, aut literas ſcribendo adire, ob ejus dignitatem ſolent, imo neceſſe habent; ſic qui mercaturam exercent literarum, illi quaeſtuoſae non uno modo implicitam, pariter illam inclutam urbem, quae TE *caput ſuum veneratur, e diſſitis quibusuis locis identidem reſpiciunt, nec grauibus reſpiciendi cauſis carent. Ibi librorum ſummae opes, ibi doctiſſimorum hominum, ampliſſima, ſi ullibi, copia; ibi ad quaſuis Terrae partes literas perferendi opportuna facultas. Quae tam multa et varia commoda cum Lipſiae vel nomen multis red-*

dant amabile, quantum apud me valeant, facili ſuſpicione agnoſcitur, cui in eadem iſta urbe et docere aliquamdiu, et honores cum emolumentis non contemnendis breui licuit conſequi. Quid quod tam multis beneuolentiae ſingularisque humanitatis ſignis a grauiſſimis ſpectatiſſimisque uiris mactatum me eſſe recordor, ut multorum me debitorem adbuc ſentiam, facultate rependendi eorum in me merita deſtitutum. Jam pridem me piget, non aliam mihi ſupereſſe grati animi explicandi rationem, quam acceptorum beneficiorum conſtantem memoriam, eamque publice demonſtrandam. Atque id ipſum, qualecunque eſt ſubſidium, ne nimis lente procedat, primam quamque occaſionem lubens arripio, Tibi certe, Vir Perilluſtris, pietatis aliquod monumentum conſecrandi. Tu nimirum partem illius beneuolentiae, qua fratrem meum ex ſummo Saxoniae prouocationum tribunali Tecum jus dicentem proſequeris, in me deriuare non dedignatus es. Tu me hoſpitem, ultro Academiae, quae doctores dare potius, quam accipere ſueuit, docendi diligentiam offerentem, judi-

di-

dicio TVO, *quod apud omnes plurimum valet, adiuuiſti, vt nullibi peregrini inuidiam, multorum non minorem, quam erga Philyreae diſciplinae alumnum expertus ſim beneuolentiam. Atque talem eſſe oportet reipublicae florentiſſimae conſulem, vt non ſolum prudentia, autoritate, conſilio, nemine ſit inferior, plurimis ſuperior, ſed etiam fauoris erga non indignos, mutuaeque alendae coniunctionis, exemplum praebeat autoritatis pleniſſimum. Tu vero, Vir Perilluſtris, per tam longam luſtrorum ſeriem, in ſummis dignitatibus, vrbis, patriaeque commoda ſumma cum laude promouens, amplificans, quidni in exemplum traharis, quandocunque eximia quaedam virtus ſpectabili exemplo eſt illuſtranda? Neque vnius eſt ſcriptionis, dignam Tuarum virtutum ac meritorum efficere tabulam; a multis potius multis vicibus laudandus es, talisque, qualis es, multiplici imagine deſcribendus. In his itaque, qui id officii exequantur libenti animo, nomen nunc meum profiteri ſatis habeo; precibus autem pro Tua conſtanti ſalute et incolumitate, in qua ipſa publica vertitur ſa-*

lus, fundendis tam parum ſatior, ut ad ſeros uſque annos, florenti TIBI *et de ſurgentibus ſplendidiſſimae gentis Tuae incrementis exultanti, idem pietatis officium laetiſſimo animo ſim praeſtiturus. Viuas quam diutiſſime: vrbem, quam ornas, integris et inſtauratis diuino beneficio animi corporisque viribus diutiſſime regas: huncce autem libellum ex Tui Nominis ſplendore ornamentum non mediocre captantem, pari, qua autorem excipere conſueueras, beneuolentia ac comitate excipias*

PERILLVSTRIS
ET
EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TVI

Erlangae
d. xx. Martii
cIↄ Iↄ CCL.

CVLTOR OBSTRICTISSIMVS
IO. MART. CHLADENIVS D.

LECTORI BENEVOLO S.

Ad quas exarandas ſua ſponte meus animus fertur, breuiores ſcriptiones, earundem conficiendarum opportunam facultatem hucuſque dedit, immo neceſſitatem mihi impoſuit demandatorum mihi munerum ratio. Suſcepto enim quaſi praeconis officio, ſic non voce quidem, ſed ſtilo, per quinque abhinc annos, crebrius a me conuocandae fuerunt ampliſſimae conciones. Denuncia-

tionibus ſingulis, quid gerendae rei propediem immineret, diſſertatio quaedam fuit, antiquo, nec inepto more praemittenda; eaque rei temporique, quantum liceret per neceſſariam ſaepe feſtinationem, accommodata. Itaque ex vario doctrinae genere decerptae a me ſunt tenuiores particulae, quas, commentario non magno illuſtratas, nec lectoribus ad cognoſcendum iniucundas, nec ab amplificandis bonis literis plane putaui alienas. Sic et officio breui meditatione ſatisfactum eſt, et mea commentandi cupiditas, pro modulo ſuo, ſatiata. Sed illum breuitatis amorem, quem, ſi probroſum exiſtimarem, tegere neceſſitatis titulo liceret, num multi ſint probaturi, certa intra animum conſtituta ſententia definire non audeo. De nonnullis quidem plane confido, iis nimirum, qui ingenii ſimilitudine mihi iuncti, quod ipſi deamant, in alio damnare non poſſunt: nec tam ſingularem mihi crediderim inſitam eſſe appetitionem, quin eius ſocii paſſim reperiantur plures: quibus autem plus con-

ſtan-

ſtantiae et roboris, datum eſt, vt tolerando, qui vaſtis operibus impendendus eſt, longo labori pares ſint, ab his ne noſtra a limine ſcriptionum ad exitum properatio reputetur in vitiis, non mediocriter videtur verendum. Inertiam forte ſtrenuus quiſque ſcriptor interpretur id, quod a ſua diligentiae laude abhorret, calamumque paullo ante ſumtum vix aliam ob cauſam tam cito poſſe poni ſuſpicetur, niſi animi ad otium transferendi vrgente cupiditate. Sed mihi quidem iſta cupiditas nunquam ſtilum excuſſit digitis: quin potius voluptas, ex re ipſa, quam tractandam ſumſi, capienda vti ſcribendi voluntatem ingeſſit, ſic huic modum et menſuram attulit. Dum enim ſolus in rem propoſitam cogitando incumbo, multa a me non fiunt, quae alias a doctiſſimis viris nec ſine plurima laude fiunt: quippe non ad affines res et quadam ſimilitudine coniunctas diuertor, nedum ad quas diuerti et exſpatiari queam, requiro; ſed po-

tius adiunctas quaestiones ſummo ſtudio ſeiungo, omneque,quod extra pomoeria argumenti mei ſitum eſt, diligenter arceo, atque vt id a me ipſe impetrem, ſaepe non ſine labore efficio. Hinc quis non videat, naſci ſua ſponte breuitatem? praeſertim vbi non diſciplinae integrae, ſed ex diſciplinis minimae quaedam ſumuntur partes curatius contemplandae. Neque adhuc me poenitet mei moris. Lecti ſunt breues hi commentarii, quantum ſperaui; laudati nonnunquam vltra quam ſperare fas fuiſſet. Interim tamen ſuccīſam illam et vndique adſtrictam, a re propoſita ne latum quidem vnguem diſcedendi diligentiam ab ipſis laudatoribus nonnunquam paulo aliter acceptam eſſe intellexi, quam fert conſilii mei ratio. Forte, a me non cogitata nec prouiſa eſſe, exiſtimarunt, quae non commemorauerām; cum ipſe data potius opera omiſerim, et, ne a lectoribus propoſitis rebus admiſcerentur,

rentur, optauerim. Sic, vt exemplo res fiat clarior, vindicias aliquando paraui vocationis vniuerſalis. Vnum conſilium erat, imbecillitatem nouae ſic dictae demonſtrationis, re vera antiquiſſimae, ſaepiuſque confutatae, oſtendendi. Et hactenus commentatio Cl. Stapfero oppoſita, probabatur: deſiderabatur autem ſolutio obiectionis, quae aduerſario ſupereſſet: quod nempe non appareat, quo pacto ſic vocati, vt doctrina vocationis vniuerſalis fert, pro temerariis vocationis haberi poſſint contemtoribus. Grauis certe quaeſtio, et diſquiſitione ſubtiliori dignisſima, ſed quae tractationi meae commode adiungi non poterat. Nec enim de conſequentiis vocationis vniuerſalis, ſed de modo demonſtrandi vocationem particularem diſputationem ſuſceperam. Hos tractationis meae limites tranſcendere vllo modo nolui, vſque adeo, vt verbo ſaltem monuerim, poſſe commode explicari, quomodo vocatio ad plures, immo ad omnes directa,

recta, eaque maxime ſeria, tamen paucisſimorum aures et mentes percellere queat. Id mihi, vt Dogmaticum iam a tractatione mea Polemica videbatur alienum et liti ex lite gignendae idoneum. A vocatione autem vniuerſali, cuius ſaltem negationem nulla idonea ratione fultam retundere volui, ad cauſas damnationis longus eſt tranſitus. Pariter cum de probabilitatis nimia admiratione commentari inſtituiſſem, non ignarus eram, illam potiſſimum a gradibus, qui iam paſſim conſtituti et ad menſuram reuocati crederentur, profluxiſſe. Sed, quia id, quod in iſta re a veritate maxime alienum eſt, id primo loco confudandum putabam, nempe omnem interpretationem, Hiſtoriam, Cauſarum cognitionem, actionum prudentem directionem ſaltem eſſe probabilem; non facile a me impetraui, impetraui tamen, vt omnem de gradibus probabilitatis quaeſtionem vltimo ſeruarem loco, atque Programmati. Interim factum eſt, vt priores

diſqui-

diſquiſitiones, antequam poſtrema accederet, in Diario laudatiſſimo, iudicio interpoſito, orbi erudito ſignificarentur. Summa rei ceu vera iterum probabatur; ſed graduum probabilitatis defenſio adiecta legebatur, inde repetita, quod gradus, demonſtrationibus fulti, ſuſpecti eſſe non poſſint. Atque, ob id ipſum, ne gradus probabilitatis, quamquam mihi non probati, apertis erroribus miſcerentur, diligenter de iis tacueram; quo nimirum nec propoſitionibus a me primo loco confutandis ab iis gradibus quaedam gratia, nec his ab incrementis non Mathematicis quaedam conciliaretur inuidia. Interim non miratus ſum, illos gradus probabilitatis cenſorum doctiſſimorum animo ſtatim eſſe obuerſatos; quaſi mature defenſionem et patrocinium implorantes, quum et in ſcribentem, et certamen certo conſilio differentem pertinaciter oberrantes circumſtiterint, et quaſi ad certamen non differendum conſtanter prouocauerint.

Sed

Sed ſtabat voluntas, ad quamlibet quaeſtionem, non tum, cum laceſſeret ad pugnandum imaginatio, accedendi, ſed Fabii inſtar, tum demum, cum iuberet meditationis ordo, et victoriae ſperandae ratio. Diuiſio itaque quaeſtionum, in qua non poſtremam artis, ſi quae mihi ineſt, partem pono, non ſemel iam vel apud aequiſſimos iudices mihi nocuit. Neque haec ideo commemoro, quaſi admonitiones, praeſertim amicorum, grauius feram; ſed ſaltem eum in finem, vt noui lectores, ad quos collectae breues iſtae peruenturae ſunt ſcriptiones, intelligant breuitatis deſtinatae cauſam; neue id, quod perſcriptum forte non reperiunt, propterea colligant, non eſſe a me cogitatum. Sic enim veritati exiſtimo optime conſuli, ſi ſingulis quaeſtionibus et doctrinis ſua aſſeratur veritas, ſepoſitis tantiſper caeteris quaeſtionibus omnibus, quae per diſputandi forte conſuetudinem conglomeratae ſolent tractari. Iſto demum pacto

nodi

nodi antiqui ſolui poſſunt; qui non aliunde naſci ſolent, quam ex confuſione plurium doctrinarum, pluriumque fallacia interrogationum.

Iam cum hae tractationes iſthoc volumine comprehenſae tales ſint, quae hinc inde beneuole ſint exceptae, et non niſi valde amice reprehenſae; non aegre ferent aequi rerum iudices, ſi iis eundem haberi honorem cupiam, quem nemo non maioribus ſuis libris exoptet; vt nempe legantur a plurimis. Sed Programmatum ſingulare fatum eſt, vt, a mercatura libraria excluſa, vix vrbe, in qua lucem adſpexere, egrediantur, quapropter per collectam demum plurium turbam ad librorum dignitatem et iura ſunt euehenda. Cui rei perficiendae, quod ad meas ſcriptiones attinet, ſumtus et ſtudium pollicita eſt, et iamiam praebuit, eadem officina libraria clariſſima, quae ante aliquot abhinc annos Opuſculorum Academicorum Volumen excudi curauit, ex hisce

ce diſſertatiunculis altero nunc volumine auctum. Mihi non niſi colligendi ſparſas chartas et in aliqualem ordinem redigendi, labor relictus eſt, longe quidem leuior, quam qui a lectoribus in aliquo numero ſit habendus. Grauior potius nobis circumſpicienda eſt materies, qua tractanda lectorum noſtris meditationibus fauentium conſtantem in nos mereamus voluntatem. Hac autem vice benignam eorum legendi induſtriam ſatis expertos eſſe nobis videmur. Datum in Academia Fridericiana Erlangenſi. d. xiv. Mart. cIↃIↃccL.

TABVLA

LIBRI SYNOPTICA.

I. THEOLOGICA.

I. Sententia D. Auguſtini de ſtilo Scripturae S. praeſertim in Hiſtoria creationis Confeſſ. Lib. XII. c. 26. pag. 2

II. Optima reſurrectionem Chriſti demonſtrandi ratio. p. 35

III. Pandectae Solatiorum. p. 49

IV. Λόγος πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. *1 Tim. I. 15.* p. 61

V. Autor: Teſtis: Nubes Teſtium. Ebr. XII. 1. p. 74

VI. Vindiciae Vocationis vniuerſalis Demonſtrationi Stapferianae oppoſitae. p. 83

II. HISTORICA.

I. Haereſes Grammaticae in Academia Oxonienſi 1276 damnatae. p. 99

II. Votum Epiphanii: Domine! Da Ioanni, ut recte credat! p. 122

III.

III. Scriptores Sacramentorum. p. 138
IV. Antiquitates Generis humani. p. 148
V. Trajanus: Princeps optimus, num ſine literis? p. 168
VI. De Macrobiis ſemel in vita parientibus. p. 177
VII. De Fennis, autore Tacito, votis opus non habentibus. p. 188
VIII. Nonnulla in laudem FRIDERICI, *Marchionis Brandenburgici.* p. 195

III. PHILOSOPHICA.

I. Inſtrumenta. p. 205
II. Machinae. p. 219
III. Tabulae: Documenta: Inſtrumenta. p. 231
IV. Praxis. p. 243
V. Princeps doctor. p. 255
VI. Monumenta in Species diſtributa. p. 265
VII. Docta caſtrorum conſideratio. p. 279
VIII. Summa pulchritudinis genera. p. 287
IX. Sacer Siluarum horror. p. 297

I.

THEOLOGICA.

[illegible] Google

SENTENTIA
D. AVGVSTINI
DE STILO SCRIPTVRAE S. PRAESERTIM IN HISTORIA CREATIONIS.

Confeſſ. Lib. XII. c. XXVI.

I.

Divinam ſacri codicis originem tum plurimis ſuis indiciis patefieri, tum vero ſingulari ipſius ſtili indole acute cernentibus internoſci, popularis eſt coetus ſanctioris opinio. Videas hinc ex iis, qui veritatem religionis Chriſtianae demonſtrandam ſibi ſumunt, pleroſque a ſtilo ſcripturae ſacrae peculiare ducere argumentum, illudque ab hominum

Digitized by Google

profanorum obtrectationibus diligenter vindicare, quin etiam, in ſua membra latius diductum, vario modo corroborare. Qui hominum omni laude digniſſimorum egregius labor eam inprimis ob cauſſam a cultoribus ſacri codicis ſuſpicitur merito, quod is in hominem, niſi multiplici eruditione inſtructum, minime cadat. Eſt enim diſputationis huius, et certaminis, ſeries fere eiusmodi, vt partim dictionis genus ſcriptoribus ſacris vſurpatum nihil eloquentiae hominum gentilium cedere oſtendatur, partim etiam, vt eximium quid, et diuinitatem ſpirans, quod in profanis auctoribus deſideres, in ſcripturae ſacrae dictione eminere probetur; quorum neutrum, niſi multiplicis adhibito doctrinae apparatu, conficias. Totius enim argumenti vis inde inprimis pendet, vt veras praeſtantioris ſtili virtutes habeamus perſpectas; ne ſcilicet vel orationis neruis vana aurium oblectamenta anteponamus, aut, quae ἀσύςατα fortaſſis ſunt, dictionis ornamenta, in vno ſcriptore imprudenter requiramus copulata; cuiusmodi quid iis fere vſu venire ſolet, qui, quas de ſtilo ſcriptorum ſacrorum inſtituunt, diſputationes, fal-

lac

laci potius ſuo ſenſu, quam certo rationis iudicio, moderari conſueuerunt. Quorum hominum petulantiam nemo reprimet, niſi certas conſtituat regulas, e quarum praeſcripto ſententiarum pariter, ac verborum, delectus, et copulatio, non minus ordinanda ſit, quam diiudicanda. Fac autem hanc demonſtrationis partem, plus ſatis negotii habituram, dextre iam eſſe ab aliquo homine docto confectam, mox eundem in eo videas multo deſudare vehementius, vt proprios diuinae ſcriptionis characteres exponat, id eſt, rem plane reconditam, et vulgaribus Rhetorum praeceptis intactam, planam faciat, praeceptisque includat. Nihil nunc in eorum profectus inquirere noſtra attinet, qui deſcendere ad abdita haec eruenda auſi ſunt, ob alacritatem certe, ſin minus feliciter conatus alicubi ceſſit, non mediocriter collaudandi. In memoriam autem nobis redit prudentia Auguſtini, in hunc ipſum de Stilo codicis S. locum aliquando delapſi, vbi tanta verecundia, ac prope timiditate, de ſcriptoris Numini perquam familiaris, et chari, nempe Moſis, dictione diſſerit, vt nec ſententiam ſuam ſatis aperte exponat, nec id, quod ſenſit, niſi

multa, dubitantis inſtar, praefatus, decernere audeat. Exſtat nempe *Confeſſionum Lib. XII. c. XXVI.* praeclarus locus, multis quidem elegantioribus refertus ſententiis, ſed mira notionum verborumque implicatione impeditus, ac proinde multae, ſi quis alius, interpretationis indigus. Audiamus autem, ne quid vel iactare, vel praeter rem deſiderare, videamur, ipſum patrem, in pias preces ita effuſum: *Et tamen ego*, inquit, *Deus meus, celſitudo humilitatis meae, et requies laboris mei, qui audies confeſſiones meas, et dimittes peccata mea, quoniam tu mihi praecipis, vt diligam proximum ſicut me ipſum: non poſſum minus credere de Moyſe, fideliſſimo famulo tuo, quam mihi optarem, et deſiderarem, abs te dari aliquid muneris, ſi tempore illo natus eſſem, quo ille, eoque loci me conſtituiſſes, vt per ſeruitutem cordis, ac linguae meae, literae illae diſpenſarentur, quae tanto poſt eſſent omnibus gentibus profuturae, et per vniuerſum orbem, tanto autoritatis culmine, omnium falſarum ſuperbarumque doctrinarum verba ſuperaturae. Vellem quippe, ſi tunc ego eſſem Moyſes (ex eadem namque maſſa omnes venimus, et quid eſt homo, niſi quia memor es*

eius?)

eius?) Vellem ergo, ſi tunc ego eſſem, quod ille, et mihi abs te Geneſeos liber ſcribendus iniungeretur, talem mihi eloquendi facultatem dari, vt neque illi, qui nondum queunt intelligere, quemadmodum creat Deus, tanquam excedentia vires ſuas, dicta recuſarent, et illi, qui hoc iam poſſunt, in quamlibet ſententiam cogitando veniſſent, eam non praetermiſſam in paucis verbis tui famuli reperirent, et, ſi alius aliam vidiſſet in luce veritatis, nec ipſa in iisdem verbis intelligenda deeſſet.

II.

Nemo non, inſpectis vel obiter pericopae huius verbis, et cum antecedentibus capitibus collatis, intelligit, diuum patrem inter preces, quas, ſententiarum de ordine creationis diſcordia commotus, ad concordiae fontem, Deum fundit, id agere, vt ſuam de ſtilo Moſeo, in hiſtoria creationis, exponat ſententiam. Videt enim lectores ſcripturae ſacrae, quam in contrarias ſententias, primum ſtatim, alterumque, Geneſeos comma explanaturi, diſcedant; quam ſibi de apprehenſa veritate ſinguli plaudant; alia ſentientibus, tamquam errantibus miſere, iniquius ſuccenſeant.

Hos inter notat quosdam, qui pie magis, quam docte, verba ſcriptoris ſacri ad excitandam pietatem inflectunt; videt alios, qui opinionibus ſpeciem doctrinae habentibus, re autem vera falſiſſimis, indulgentes, Moſen, quaſi hiſtoricum minus fidum, accuſant; videt denique aliam hominum turbam, qui diuerſa quidem, recta tamen omnia, ſentiunt, eamque ob cauſam Moſen ſinguli, tanquam id ipſum tantum, quod volunt, enarrantem, ſibi ſoli vindicant. Huic tam diſſonae interpretum turbae ſeſe admouet Auguſtinus, omnes, praeter eos, qui Moſi inimicos ſe ipſi profitentur, tanquam vnius magiſtri diſcipulos, amore complectitur, eosque docet, Moſen ea verborum conceptione hiſtoriam creationis enarraſſe, vt paucis verbis, tantam vnicuique, quantam capere poſſet, iſtius myſterii partem praebuerit conſpiciendam. Haec dum animo voluit, atque differit, ſingularem dictionis Moſeae indolem indicat, quae huc redit: Ea Moſen verborum conformatione hiſtoriam creationis adornaſſe, vt indoctis, aeque ac doctiſſimis, lectoribus fidem ſuam, profunditatem, et diuinam inſpirationem probet. In qua ſententia

tentia cum multa deliteſcant obſcurius dicta, non vna, vt ab omnibus intelligatur, admonitione opus eſſe videtur.

III.

Primo quidem loco difficultatis quidpiam habere videtur, quod non diſerte, et propriis verbis, quomodo Moſes ſcripſerit, Auguſtinus doceat, ſed per votum ſaltem optet, ſi illud ſcribendae mundi creati hiſtoriae negotium, a Moſe adminiſtratum, ſibi datum fuiſſet diuino nutu, vt eam ſcribendi facultatem nactus eſſet, quae omnis generis lectorum ſatisfaceret diſcendi cupiditati. Etſi vero vota homines ſuſcipiant nonnunquam inania, quae an locum habere queant, ipſi fluctuant, his tamen Auguſtini precibus magna ineſſe videtur aſſeueratio. Putat enim ad dignitatem diuini libri id pertinere, vt a quamplurimis intelligatur. Qui igitur dubitare potuit, eam Moſi diuinitus conceſſam eſſe ſcribendi facultatem, quam non magis ad ſalutem hominum, quam ad ſummi gloriam numinis, arbitratus eſt pertinere? Quam ſibi facultatem, ſi Moſis officio functus eſſet, dari, per leges diuinae ſapientiae, potuiſſe, im-

mo debuiſſe, contendit, hanc Moſi datam non fuiſſe, quomodo in animum, vt crederet, inducere potuiſſet? Sed omnem dubitationem tollit repetita aſſertio, quam *Cap. XXXI.* his perſpicuis conceptam verbis, ſubiunxit: *Nolo itaque, Deus meus, tam praeceps eſſe, vt hoc illum virum de te meruiſſe non credam. Ego certe, quod intrepidus corde meo pronuncio, ſi ad culmen autoritatis aliquid ſcriberem, ſic mallem ſcribere, vt quid veri quisque de his rebus capere poſſet, mea verba ſonarent, quam vt vnam veram ſententiam ad hoc apertius ponerem, vt excluderem caeteras, quarum falſitas me non poſſet offendere.* Non igitur coniecturam quandam, ſed dogma, illudque Hermeneuticum, ab Auguſtino in noſtra pericope proponi palam eſt.

IV.

Ad alteram iam, et paulo magis impeditam, progredimur quaeſtionem: num Auguſtinus de ſtilo ſolum Moſis, an vero omnium ſcriptorum ſacrorum, agat? Etſi enim nullius, praeter Moſen, ſcriptoris ſacri, hoc quidem in loco, mentionem nominatim faciat, omnes tamen animo com-

plexus

plexus eſſe nonnullis viſus eſt. Praeterquam enim, quod *editores Operum Auguſtini Antwerpienſes*, hoc, quod explanamus, caput, huiusmodi inſcriptione ornarunt: *qualis ſermo deceat ſcripturam?* ille porro, qui ſeparatas Auguſtini Confeſſionis a reliquis operibus edidit, *H. Sommalius* eundem titulum noſtrae pericopae duxit praefigendum. Nempe in hoc quidem capite nullum Auguſtino excidit verbum, vnde vidiſſe eum longius, ac caeteros, praeter Moſen, diuinos ſcriptores cogitaſſe, intelligatur, niſi forte argumento, hunc in modum exſtructo, vtamur: Genus dicendi Auguſtinus indicat, quo Moſes, partim vt diuinus ſcriptor, partim ob ſummam Eccleſiae vtilitatem, vti debuit: haec iam ratio cum ad omnes ſacri codicis libros, omnesque eorum autores, aeque pertineat, quidni Auguſtinum eam ſcribendi regulam, quam Moſes ſecutus eſt, ad omnes ſcriptores ſacros tranſtuliſſe cenſeamus? Non inanis ſane coniectura; certiorem tamen ex eo Auguſtini dicto repetere datur, quo omnes ſacri codicis partes *ad iſtum modum* tractari poſſe aſſerit. *Confeſſ. Lib. XII. c. XXXV. Ecce, Domine Deus meus, quam*

multa de paucis verbis, quam multa, oro te, ſcripſimus, quae noſtrae vires, quae tempora, omnibus libris ad iſtum modum ſufficiant? Quibus e verbis quis non intelligat, Moſen ſolum, tanquam illuſtre exemplum, in ſcenam productum eſſe, de cuius ſtilo reliquorum Prophetarum, et Apoſtolorum, dictio ſit aeſtimanda. Denique notiones ipſae, quas iam declarabimus, quam late pateat Auguſtini ſententia, optime oſtendent.

V.

Duo, quod manifeſtum eſt, lectorum ad ſcripturam accedentium genera Auguſtinus demonſtrat: *alterum* eorum, qui quomodo creat Deus, intelligere poſſunt, eorum *alterum*, qui id nondum poſſunt. Neutrum hominum genus vulgo ita notum eſt, vt quisque, ad vtrum pertineat, ſtatim agnoſcat. Notiora autem haec fient, ſi, quid ſit illud; *quemadmodum creat Deus*, recte intellexerimus. Diuerſae ſane notiones ſunt, *quod* Deus creat, et, *quomodo*, ſiue *quemadmodum*, creat. Vereor autem, ne lectoribus hic in memoriam redeat diſtinctio τῦ ὅτι a τῶ διότι, nonnullisque videatur

tur *quemadmodum* illud aequiualere Graeco vocabulo διότι; id quod a ſententia Auguſtini penitus abhorret. Quis enim eſt mortalium, qui vel rationis ſuae lumine, vel diuinorum oraculorum adiutus facibus, modum et ordinem creationis ita cernat, vt philoſophica quadam ratione rem totam, tam ſublimem, exponere poſſit, id quod tamen cognitio τȣ̃ διότι requirit. Neminem puto de ſui intellectus viribus tam magnifice ſentire, vt hoc conſequi ſe poſſe ſibi polliceatur. Fortaſſis tamen Auguſtinus, vel de ſe ipſe, vel de alio, tam bene, inquis, ſperauit? Minime! Planum id poſteâ fiet, ſed nunc alia proferenda eſt huius vocis notio, vt optionem lector habeat, alterutram Auguſtini verbis iungendi. Quam notionem, vnde repetenda ſit, ſi requiras, ad vulgarem Latii ſermonem te attendere iubemus. Nonne enim, *quomodo* res geſta ſit, is noſſe omnibus dicitur, qui plures rei geſtae circumſtantias cognitas habet, easque ordine quodam enarrare poteſt, etſi cauſas rei geſtae penitus ignoret? Etenim ſi quis terrae motum, aut grauiorem tempeſtatem, aut calamitatem aliam, expertus eſt, nonne hunc inprimis idoneum iudicamus,

mus, qui *quomodo* clades acciderit, nobis enarret? quotus quisque autem horum eſt, qui cauſas malorum exempli loco a nobis adductorum inſpiciat, atque illud quomodo, ſiue διότι, quod Philoſophorum eſt, habeat cum experientia, et ſenſu, coniunctum. Hanc igitur vulgarem vocis notionem ſi hoc loco cogitemus, is ab Auguſtino noſſe dicitur, et intelligere, *quemadmodum creat Deus*, qui ſingulares circumſtantias, et ordinem creationis, nouit, cuiusmodi omnes illi ſunt, qui traditam a Moſe hiſtoriam pie, atque ea, qua par eſt, fide, amplectuntur. Diligenter iſtam vocis, *quomodo*, notionem retineri a lectoribus cupimus, ſiquidem non aliam poſt hac, per totam tractationem, cum ea voce iungemus.

VI.

Sed non de illis Auguſtinus iam agit, qui, quemadmodum creat Deus, aut intelligunt, aut non intelligunt, ſed de his, qui id intelligere ſaltem *poſſunt*, aut non *poſſunt*: quos dum nominat, neſcio, quam difficultatem innuit, in eo poſitam, vt quis, quomodo creat Deus, intelligere poſſit. Videre mihi videor lectores eiusmodi, qui

ſic

ſic cenſeant, nullius negotii, aut difficultatis, rem eſſe, quomodo quid factum ſit, animo percipere, dummodo adſit, qui rei geſtae ſeriem exponat; proinde nec apparere, quinam ſint ita ſtupidi, vt, quomodo creat, vel creauit, Deus, intelligere nequeant, tametſi perſpicuis id legant verbis a Moſe relatum. Specioſa tamen potius mihi, quam vera, videtur haec ratio. Etſi enim ſaepe *probabilius ſit, quod geſtum eſſe dicas, cum, quemadmodum actum ſit, exponas*, CICERO *de Orat. Lib. II.* incidunt tamen nonnunquam res, quae, ſi verbo enarrentur, ſtatim ſeſe nobis probant, tum vero, cum prolixius, ſecundum ſuas partes et circumſtantias enarrantur, multo magis, quam erant ante, incredibiles fiunt, et intellectu difficiliores. Vulgari rem probatam dabo exemplo. Si quem belli ducem ſuperaſſe hoſtem praelio, et in fugam conieciſſe, audiuimus, dummodo mediocrem autor habeat fidem, rem nihil cunctati credimus. Sin vero eundem ducem exiguis copiis, loco minime commodo, in ſumma rei equeſtris inopia, cum hoſtis ea re multo eſſet ſuperior, victoriam reportaſſe quis contendat, iam multo minus victoriae

ctoriae veritatem aut intelligemus, aut credemus. Sic, quod factum eſſe bene intelleximus, poſteaquam audiuimus, quomodo factum ſit, intelligere vix poſſumus. Idem Geneſeos lectoribus permultis vſu venire ſuo didicit exemplo Auguſtinus; ſiquidem, cum mundum a Deo creatum eſſe nullus dubitaret, e narratione tamen Moſaica, quae docet, quemadmodum Deus mundum creauerit, in varias incidit dubitationes. Longo ſeptem dierum intervallo orbem eſſe productum e Moſe cognouit; lumen putares viro cognoſcendae creationis cupido accenſum eſſe: tale nempe hauſit, quod, quia ferre non potuit, extinguere conatus eſt. Negauit enim, ſeptiduum illud, verum totidem dierum ſpatium denotare. *conf. de Geneſi ad literam c. 7.* Terrae recens a Deo conditae aſpectum vacuum et inanem fuiſſe, teſte Moſe, cognouit Auguſtinus; videtur tamen non multo plus inde commodi, quam nouam dubitandi, differendique, materiem, conſequutus eſſe. Multis enim ſermonibus de informitate mundi, *Confeſſionum Lib. XII. c. 21. ſeqq.* et ambigue quidem ſatis, differit. Nec multo in caeteris creationis

tionis partibus intelligendis fuit felicior. Quare ſuo admonitus ſenſu, et experimento, de caeteris coniecturam fecit hominibus, plures eſſe, omnique tempore fuiſſe, qui, quomodo creat Deus, intelligere non poſſunt, nec potuerunt.

VII.

Vtinam vero duo iſta lectorum genera, ab Auguſtino conſtituta, tam perſpicua quadam nota diſcernerentur, vt, ad vtram pertineat, quisque ſtatim diiudicare poſſit; cuiusmodi quid, vt iam eruamus, operam dabimus. Id perſpicuum eſt, diſcrimen vtrumque lectorum genus diuellens, a cognitionis gradu, et modo, deriuandum eſſe. Cum enim quis intelligere id non poteſt, quod alter intelligere poteſt, etſi neuter rem intelligat, hunc tamen cognitione iſtum ſuperare neceſſe eſt. Quare et illos, qui intelligere poſſunt, quomodo creat Deus, ab iis, qui id intelligere nondum poſſunt, quodam doctrinae genere, aut gradu, diſſidere compertum habemus. Sed cum vario imbuuntur homines doctrinarum, artiumque, genere, tum maximo diſcrimine illi, qui notiones tantum ſenſibiles, et in cor-

corporeis rebus obuias tenent, ab illis ſeiuncti ſunt, qui notiones Metaphyſicas, caeteraſque Philoſophicas, et Mathematicas, animo complectuntur: tametſi accidat, vt et Philoſophi multas ex vulgi retineant notionibus, et qui Philoſophos ſe non profitentur, Philoſophorum doctrinas haud mediocriter calleant. Auguſtinum igitur per eos, qui nondum intelligere poſſunt, quomodo creat Deus, homines cenſeo indicare, qui vulgari ſolum, et a ſenſibus profecta, cognitione gaudent; per caeteros autem, qui iam intelligere poſſunt, quomodo creat Deus, iſtos, qui doctrina imbuti ſunt Philoſophica. Id quod non leui, aut temeraria, motus coniectura, ſed ab ipſo Auguſtino, ſibi ipſi comparato, edoctus affirmo. Vbi enim in ſubſequentibus capitibus diuus pater ſententias, in compendium miſſas, enarrat, quae in vtroque hominum, quos nominauimus, genere per verba Geneſeos excitantur, *primum* eos producit, qui notiones vix alias, quam concretas, et ſenſu hauſtas, ad intelligendum Moſen afferunt, ac proinde, ex his ſuis notionibus, ſiue vt Auguſtinus loquitur, ex *familiaritate carnis*, de hiſtoria

creatio-

creationis opinantur a): *deinde* vero alterum genus hominum excitat, qui in varias, hiſtoriam creationis legentes, incidunt ſententias, omnes tamen ita comparatas, vt, niſi in homine ad Philoſophorum diſciplinas inſtituto, exiſtere non poſſint b). Neque enim *materiam* a *fama*, neque quibus generibus, et modis, vnum altero *prius* dicatur, quisquam curioſe diſcernit, niſi artibus imbutus ſit Philoſophicis. Ex his autem, ſimilibusque, ſubtilioribus cogitationibus, omnis illa ſententiarum ab Auguſtino commemoratarum enaſcitur varietas. Quare per totam huius precationis,

 vel

a) *Confeſſ. Lib. XII. c. XXVII. §. 2. Alii*--- cum audiunt; dixit Deus, fiat illud, et factum eſt illud: cogitant verba coepta et finita, ſonantia temporibus et tranſeuntia, poſt quorum tranſitum ſtatim exiſteret, quod iuſſum eſt, vt exiſteret: et ſi quid forte aliud hoc modo, *ex familiaritate carnis* opinantur: in quibus paruulis animalibus, dum iſto humillimo genere verborum, tanquam materno ſinu, eorum geſtatur infirmitas, ſalubriter aedificatur fides, qua certum habeant, et teneant, Deum feciſſe omnes naturas, quas eorum ſenſus mirabili varietate circumſpicit.

b) *Confeſſ. Lib. XII. c. XXVIII.* Alii vero, quibus haec verba non iam nidus, ſed opaca fruteta ſunt, vident in eis latentes fructus, et volitant laetantes, et garriunt ſcrutantes, et carpunt eos etc.

vel potius diſputationis, ſeriem conſtare arbitror, homines, qui intelligere poſſunt, quomodo creat Deus, ſi Auguſtinum audias, non alios eſſe, quam eos, qui vſu rationis pollent, illamque inſtitutione, praeceptis, longoque meditationis vſu diligentius perficere allaborarunt. Huiusmodi homines, noto quodam, tritiſſimoque, ac propterea inprimis commodo vocabulo, Philoſophos appellarem, niſi verendum mihi eſſet, ne vel Auguſtini, vel noſtra, ſcriptio in nonnullorum incurrat reprehenſionem, quod Philoſophiae plus, quam hoc nomen tueri queat, facultatis et honoris tribuamus, praeſertim ſi, non lectis, quas ante expoſui, cautionibus, ſubito in haec verba incidant, quae Philoſophis concedunt, intelligere eos poſſe, quemadmodum creat Deus. Intelligent tamen hi, niſi iniquum afferant ad legendum animum, nihil iſti doctorum hominum generi a nobis dari, niſi quod iure quodam ſuo ſibi vindicant, cum non doceamus, eos *intelligere*, quomodo creat Deus, ſed ſaltem, ſi doceantur, *intelligere poſſe*; neque illud *quemadmodum* τῷ διότι aequiualeat, ſed multitudinem ſaltem circumſtantiarum, et ordinem rei

rei geſtae, notet; cum denique nemo ab hac Philoſophorum excludatur, quanta quanta eſt, laude, qui vltra plebis captum ſapit, tametſi Philoſophi titulum nec vnquam ſibi ſumſerit, nec oblatum acceperit.

VIII.

Sed ad rationes iam inquirendas deſcendamus, quibus auctor noſter commotus haec duo potiſſimum lectorum genera diſtinguit, et inter ſe committit. Quam rem, vt perfecte Auguſtinum intelligamus, paulo altius ducimus repetendam. Certum eſt, vnumquemque, cum ad ſcribendum adiicit animum, rationes ſubducere debere, num ab omnibus, an a quibusdam, et a quibus, legi cupiat. Non enim omnia intelligere poſſunt omnes. Neque intelligi ſolum, qui ſcribunt, ſed etiam probari volunt, quod non vno apud omnes lectores modo conſequimur. Cum igitur dura eſt cuiuſuis fere ſcriptoris conditio, tum eius eſt grauiſſima, qui ab omnibus legi, probarique, cupit. Vt enim illi, qui conuiuium iuſtruunt, ſolemne inprimis, et multorum hoſpitum, infinita diſtrahuntur cura, primum vt nulli diſpliceant conuiuarum,

deinde ne vlli, cum alterius iniuria, placeant: ſic, qui ad doctrinae dapes quam plurimos lectores inuitant, varium eorundem, non quidem palatum, ſenſum tamen, iudiciumque prudenter metuunt. Maiorem tamen ſcriptoris, quam conuiuatoris, laborem agnoſcas, quod hic facilius, quam iſte, explorat conuiuarum ingenium. Qui igitur huius rei difficultatem ſecum penſitarunt, duo potiſſimum lectorum genera pertimeſcenda exiſtimarunt, *doctiſſimorum* et *rudiorum*. Ita Lucilius, apud Ciceronem a), nec ab indoctiſſimis ſua, nec a doctiſſimis, legi voluit, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe, quam ipſe ſenſerit. Nec minus Craſſus, quem Cicero loquentem refert, neque apud ruſticos, de eloquentia, diſſerere voluit, neque apud Caeſarem, Antonium, Catulum, horumque ſimiles, quod et non intelligi, ſua perſona, et repre-

a) Cicero *de Oratore Lib. II. c. VI.* Nam ut Lucilius, homo doctus, et perurbanus, dicere ſolebat, ea quae ſcriberet, neque ab indoctiſſimis, neque a doctiſſimis, legi velle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe, quam ipſe - - - - ſic ego, ſi iam mihi diſputandum ſit de his noſtris ſtudiis, nolim quidem apud ruſticos, ſed multo minus apud vos. Malo enim non intelligi orationem meam, quam reprehendi.

by Google

prehendi, indignum iudicaret. Vides, in quanta ſcriptores verecundiores verſentur ſollicitudine, ne ſuam in diſcrimen adducant famam, bonamque hominum de ſe exiſtimationem. Nolunt ab omnibus legi, mallent hominum a ſuis ſcriptis magnum arcere numerum, quam, quod metuendum putant, a multis non probari. Non miror igitur Auguſtinum, ancipites boni ſcriptoris curas ſaepius haud dubie expertum, maximam ſacrorum ſcriptorum in eo ſapientiam collocaſſe, vt, quod homines, quamuis ad ſcribendum diſſerendumque inſtructiſſimi, efficere non potuere, efficerent, doctiſſimisque pariter atque indoctiſſimis aeque ſeruirent, ſi nempe verborum ſententiarumque ſeriem, exemplo Moſis, ita pertexerent, vt vtriusque generis lectores recuſandi effata nullas, amplectendi contra grauiſſimas reperirent cauſſas.

IX.

Iuuabit ſigillatim nunc cognoſcere, quemadmodum tam diuerſo variorum lectorum ſenſui, ſingulari ſuo ſcribendi genere, cauiſſe Moſes Auguſtino videatur. In eorum nempe gratiam, qui nondum intelligere

poſſunt, quommodo creat Deus, hoc prouidit, ne dicta, tanquam *vires ſuas excedentia*, *recuſarent.* Iterum eleganter magis, quam aperte, praeſul Hipponenſis loquitur; vereor enim, vt omnibus pateat, quid ſibi velit, *dicta* autoris, tanquam *vires ſuas excedentia*, *recuſare?* Id quod euadet perſpicuum, ſi verbis autoris noſtri ſubiiciamus notiora: *tanquam paradoxa non credere.* Notum quippe eſt, *paradoxon* non id eſſe, quod a vero abhorret, ſed quod nonnullis, vel plerisque, ob imbecillitatem intellectus abſonum, et rationi aduerſum, videtur, eamque ob cauſſam, tanquam falſum, reiicitur. Cenſuit igitur Auguſtinus, fieri potuiſſe, vt veriſſimae creationis hiſtoriae quaedam admiſcerentur, quae haud paucis lectoribus, rudioribus nimirum, vel Philoſophiae ſaltem ignaris, paradoxa, et proinde fide indigna, viderentur. Quae ſuſpicio, quam veritati egregie conſentiat, haud difficulter patet. Finge enim, diuinum ſcriptorem veram terrae figuram diſertis expoſſuiſſe verbis, quale quaeſo παράδοξον ac prope portentum, protuliſſe olim viſus eſſet non ſolum plebi, ſed et doctioribus permultis; ex quibus vnum,

vnum, exempli loco, et quidem antiqua doctrinae fama inclutum, LACTANTIUM protuliſſe ſufficiet, rotunditatem terrae multa facundia exagitantem, *Inſtit. Diuin. Lib. III. c. 24.* Quid igitur putes eundem, eiusque ſimiles, de fide Moſis ſenſuros fuiſſe, ſi inſertam a Moſe actis creationis legiſſent vel magnitudinem ſtellarum, qua nemo nunc inter noſtros offenditur, vel motionem terrae, quam plerique nunc cum ſcripturae oraculis nullo conciliant negotio, vel aliam quandam Philoſophicam notionem, aut olim, aut nunc, a Philoſophiae ignaris inter paradoxa relatam. Egregiam igitur boni ſcriptoris prudentiam demonſtrauit Moſes, hiſtoriam mundi geniti ita concinnando, vt vera quam plurima, quae ad declarandam operis diuini immenſitatem, afferre commode potuiſſet, in gratiam tamen infirmiorum, vel omiſerit penitus, vel ſaltem tectius propoſuerit, eaque ſolum aperte pronunciauerit, quae quilibet ſano ſenſu praeditus et legeret ſine offenſione, et cum fructu non mediocri.

X.

Ad alterum iam deſcendamus lectorum genus, quos nempe intelligere poſſe Auguſtinus dicit, quomodo creat Deus. His ſcilicet ita accommodatam eſſe Geneſeos dictionem contendit, *vt in quamcunque cogitationem*, (veram nempe) *incidiſſent, eam non praetermiſſam eſſe a Moſe reperirent.* Perſpicuum eſt, magnam verborum emphaſin, ac doctrinae reconditae vbertatem, ab Auguſtino indicari. Quid autem hoc ſibi vult, *in quamcunque cogitationem incidiſſent?* Quid agunt, quid quaerunt hae cogitationes? nempe quomodo creat Deus? hoc eſt, ordinem et rationem, qua quoduis ex rebus creatis, poſt alterum, ad exiſtentiam ſit perductum. Deinde vnde hae cogitationes oriuntur? num ex abditis rationis noſtrae receſſibus, an vero e ſcripturae lectione? Nihil definit Auguſtinus. *Lucem veritatis* nominat, ceu harum cogitationum fontem. Sed et ratio ſuum habet lumen, et multo fortius reuelatio. Ancipitem igitur hanc notionem ex ipſo Auguſtino reddamus, quantum fieri poteſt, firmiorem. Varias in antecedentibus capitibus de creationis indole ſententias enarrat, omnes,

ſuo

ſuo quidem iudicio, veras, quarum in eo tamen autores a ſe inuicem diſſentiunt, quod ſinguli ſuam ſolum a Moſe traditam confirmatamque putant ſententiam, caeterarum vero vllam Moſi in mentem veniſſe audacter negant. Quos ad pacem concordiamque reuocaturus Auguſtinus, media procedens via, omnes iſtas ſententias a Moſe aut *indicatas* eſſe docet, aut certe *ſubindicatas*. Quare de illis cogitationibus agit, quae in lectoribus Geneſeos per verba Moſis excitantur. Id quod omnibus foret exploratiſſimum, niſi videretur quodammodo repugnare, vt quis in ſententiam quampiam per verba Moſis cogitando veniat, eandemque tamen in iisdem ſcripturae verbis, veluti omiſſam, requirat. An enim conſiſtere haec poſſint, dubitet quispiam, doctrinam quandam e verbis Geneſeos didiciſſe, et poſtea illam ipſam doctrinam in iisdem verbis difficulter reperire. Id quod aſſerere nullus dubito. Sic enim cum intellectu noſtro, ſi non rudi, ſed imbuto iam variis artibus, fruamur, comparatum eſt, vt ad librum aliquem legendum appulſi, initio quidem rei, de qua agitur, notionem e ſerie verborum hau-

hauriamus, mox vero, conuerſa a verbis in contemplationem rei mentis acie, in varias de eiusdem rei indole cogitationes incidamus. Quae cogitata, quod, niſi inſpecto libro, in nobis enata non fuiſſent, plerumque ad ipſius libri ſenſum ita referimus, vt ea, quae nos cogitamus, ipſum autorem cogitaſſe, innuiſſe, dixiſſe contendamus, praeſertim cum illud, quod cogitamus, aliqua ducimus autoritate eſſe confirmandum. Cum vero et in ſe turpe ſit ſcriptori ſententiam tribuere, quam certa quadam, aut probabili, ratione eruere e verbis eius non poſſis, et cogitata noſtra haud raro ad alios perferamus, qui id, quod nosmet in verbis autoris videmus, perſpicere nequeunt, noua docto lectori, ac verecundo interpreti, enaſcitur cura, eas ipſas cogitationes, quas ex libro hauſit, in verbis iſtius libri certa, et aperta, via reperiundi. Cuius rei difficultatem cum omnes librorum interpretes experiuntur, niſi quis forte impudentior ſenſum verborum, quem ipſe tenere ſibi videtur, caeteris lectoribus obtrudere potius, quam monſtrare, cupiat, tum ars interpretandi ex ipſa noſtrae mentis indole optime declarat.

Trans-

Transferantur haec iam, ſi placet, ad diuinum Geneſeos librum. Vereor nempe, vt vnquam extitiſſet, qui de humani generis origine, ipſisque hominibus antiquiori mundi aetate, differeret, niſi Moſes, diuino ſpiritu excitatus, his tenebris lucem intuliſſet, ſuisque lectoribus de rebus his abſtruſiſſimis copiam differendi dediſſet. Poſteaquam vero, praeeunte iſto monſtratore, ad ſtupendum mundi a Deo recentis ſpectaculum admiſſi ſumus, nemo fere eſt paulo doctior, rerumque vel Philoſophicarum, vel Mathematicarum, peritior, quin per acriorem noui orbis contemplationem in varias incidat ſuſpiciones, et coniecturas, ad amplificandam creationis breuiorem hiſtoriam pertinentes. Quae ſingulae ſententiae, quotquot verae ſunt, etſi in hominum mentibus enatae non eſſent, niſi ſuae rationis lumen de lumine ſcripturae ſacrae accendiſſent, ſaepe tamen, quemadmodum ex verbis Moſis erui poſſint, difficulter intelliguntur. Docet igitur Auguſtinus, quicquid doctiores de creationis ordine et modo, rationis ſuae, vt putant, ductu, cognoſcunt, aut vllo vnquam tempore cognituri ſunt, id omne a Moſe non

omiſſum,

omiſſum, ſed, aliquo certe modo, indicatum iam, et ſignificatum, reperiri.

XI.

Neque negligendae a nobis, aut ſicco praetereundae pede, ſunt rationes, cur cogitationes, in quas eruditi ſaltem Geneſeos lectores incidunt, Moſes non praetermiſiſſe Auguſtino videatur. Etſi enim apertas aſſerti ſui cauſſas expromat nullas, quasdam tamen, quamuis obſcuriores, prodidit. Quemadmodum nempe ſcriptori Geneſeos, ne a rudioribus non intelligeretur, ideo cauendum fuit, quo nullum fidei in ipſis generandae poneretur impedimentum, ita idem hoc ab eruditis metuendum putauit Auguſtinus, tametſi diuerſam ob rationem. Non equidem mortales decet iudicium ſibi de ſcriptoribus diuinis ſumere, aut, quantum de vnaquaque re ſcribere debuerint, audacter definire; dignum tamen haud dubie ſanctiori ſcriptore eſt, vt, in quo argumento exponendo verſatur, in eo omnium lectorum ſuperet doctrinam, eaque re omnem faſtidii, et contemptus, cauſſam a volumine ſuo, vel potius diuino, arceat. Cenſet igitur Auguſtinus, ſi eruditiſſimus quis-

quisque ſuas ſententias, quas omnibus ingenii ſui viribus eruit, quas porro, tanquam praeclarum laboris ſui fructum, magni facit, et ſtrenue defendit, a Moſe iam memoriae proditas reperiat, fore, vt diuinam Moſis autoritatem non recuſet, ſed hanc potius Geneſeos profunditatem, omnem recentiorum ſeculorum doctrinam antegreſſam, tanquam certiſſimum originis diuinae argumentum pie amplectatur, religioſeque veneretur. Quare non temere diuus pater ſubtiliora doctiorum cogitata Moſen non praetermiſiſſe perſuaſum habuit, ſed grauiſſimam hanc olim ſtili Moſaici legem ſancitam putauit, vt diuinus ſcriptor iſta profunditate ſua perinde apud doctos ſuam ſemper autoritatem tueretur, quemadmodum ſimplicis ſuae dictionis maieſtate rudioribus ipſis, nullo non tempore, veram eſſet creationis hiſtoriam facile perſuaſurus.

XII.

Si nihilominus dicendum, quod res eſt, validiſſimum iſtud afflatus diuini indicium vna hac maxime premitur dubitatione, fierine poſſit, vt, in ſumma hiſtoriae breui-

breuitate, et inſcitiae lectorum rudiorum, et doctiſſimorum hominum ſciendi cupiditati, aeque ſcriptor, quicunque ille ſit, ſatisfaciat? Fingitur, inquis, ab Auguſtino ſpecioſum dictionis decus, quod, quia a praeſtantiſſimis oratoribus, Lucilio, Craſſo, Tullio exprimi non potuit, naturae fortaſſis, ſibique ipſi repugnat, eaque propter ad Meteora potius Rhetorica, (quae, qualia ſint, e doctiſſimo *GODOFREDI CENTNERI* libello *de Meteoro Philoſophico* colligas), quam ad veram pertinet ſtili perfectionem. Ego vero minime iraſcor menti parum credulae, doctrinamque Auguſtini, niſi ſatis exploratam, crudas veluti dapes, tantiſper recuſanti. Quin etiam id largior, pertinere quodammodo ad perfecti commentarii partes, quod fieri poſſe Auguſtinus per coniecturam putauit, imo factum eſſe diſerte docuit, vt id ab omni meteori et erroris, dummodo res patiatur, ſuſpicione liberemus. Sed gerendae huius rei cauſſa peculiaris quaedam, et quidem ſubtilior, ac longior, de interiori ſtili, inprimis hiſtorici, indole, tractatio foret inſtituenda, quam ſi huic commentario ad interpretandum, non ad docendum,

cendum, comparato infereremus, verendum nobis eſſet, ne ſcriptionis noſtrae fines rexiſſe parum ſcite videremur. Quare ſi qui ſint, qui ſcribendi artificium ab Auguſtino laudatum, a nobis aut explicari poſſe putent, aut, vt id perficeremus, optent, hos aliud tempus, aliamque calamum exercendi cauſſam nobis oblatam, beneuole expectare iubemus, quam et commodam, et amplam, dabit munus, auſpiciis Sereniſſimorum Principum, CHRISTIANI ERNESTI, et FRANCISCI IOSIAE, Ducum Saxoniae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Angariae et Weſtphaliae, Reliqua, clementiſſime mihi demandatum. Placuit enim SERENISSIMIS PATRIAE PATRIBVS illuſtri Gymnaſio Caſimiriano, Directoris Adiuncti et Paedagogiarchae nomine, me praeficere, coetusque in iſto celeberrimo Athenaeo literis, eximio cum ſucceſſu, operam dantis, commoda procuranda mihi commendare. Quod munus non minus grauitatis, quam dignitatis, habiturum, poſteaquam ſolemni inaugurationis ritu, d. V. Id. Decembr. adii, id nunc maxime curae cordique habeo, vt doctrinae partes ad expli-

candum mihi traditae, nulla interpoſita longiori mora, a demandato mihi coetu percipiantur. Quapropter *Craſtino die*, publicas priuatasque ſcholas, easque Theologicas, Philoſophicas, literarias, peculiari ſcheda indicatas, diuina fauente gratia, aperiam. Veſtra intereſt, Ciues Generoſiſſimi, Nobiliſſimi, dilectiſſimi, vt officii veſtri, commodi, et moris memores, nouam comparandae doctrinae opportunitatem cupide arripiatis, meque certiorem reddatis, mea cum docendi induſtria veſtram certare diſcendi proficiendique cupiditatem. P. P. Dom. III. Adu. A. R. S. MDCCXXXXIV.

II. OPTI-

Digitized by Google

II.

OPTIMA RESVRRECTIONEM CHRISTI DEMONSTRANDI RATIO.

ILL. GYMNASII CASIMIRIANI
COBVRGENSIS
DIRECTOR ADIVNCTVS
CAETERIQ. PROFESSORES
CIVIBVS SVIS
S. D.

Fidei in Seruatorem excitandae, augendaeque, certam rationem non rectius diſcas, quam ab ipſo, quem fide amplecteris, Seruatore. Is enim, vt in omnibus rebus principatum tenet, *Col. I. 17.* ita ſummum haud dubie muneris prophetici, et doctoris, obtinet faſtigium; tantumque *docendi modo* caeteros doctores vincit, quantum *doctrinae praeſtantia* hominum ſapientiam ſuperauit. Praeſertim vero cum ea, quae homines docuit, non

niſi *fide* apprehendantur, quod doctrinae genus minus eſt inter homines vſitatum; fideique cauſſae multo, quam ſcientiae, magis alte ſint reconditae; iuuat Seruatoris doctrinas ita ſcrutari, vt, qua ratione homines ad ſuorum adduxerit praeceptorum obſequium, inquiramus, et, ſi quas artes ſigillatim cognoſcamus, eas in rem noſtram, vtilitatemque, prudenter vertamus.

Quae res quidem latiſſime patet: ſiquidem non *voluntas* ſolum *Patris*, cuius interpretem egit Seruator, in multa diducitur membra; ſed et ipſa *Chriſti perſona*, cuius cognitio breue eſt ſalutis noſtrae compendium, plurimos ambitu ſuo continet articulos. Sed ex pluribus, quae huc ſpectant, *reſurrectionem* inprimis, cuius memoriam pie colimus, temporis nos ratio contemplari nunc iubet; quo pacto eam ſuis Seruator diſcipulis, non rei quidem ignaris, quos facile erudias, ſed doctrinae ſaepius ſibi iam propoſitae pertinaciter repugnantibus, tandem perſuaſerit.

Ea vero omnium maxime ad hominis naturam accommodata videri poſſet conuincendi ratio, vltra quam nihil amplius deſideres, ſi reſuſcitatus Seruator ſuis ſe

non

non ſolum *conſpiciendum*, ſed, qua re veritas corporis potiſſimum cognoſcitur, *palpandum* praebuiſſet. Et praebuit ſe omnino conſpiciendum, ſingulis mox, mox pluribus; nec ſemel, ſed iteratis vicibus, quas recenſet in perpetuam rei memoriam, praeter Euangeliſtas, Paulus *1 Cor. XV. 5. 6. 7. 8.* Thomae vero ſummam in neganda magiſtri vita pertinaciam, contrectandi cicatrices, facultate data, tandem ſuperauit: vt omnino intelligeretur, non vim inferre rationis legibus, ſed ea via ad aſſenſum ſuos ducere voluiſſe, qua ipſi ad fidem ſua potiſſimum ſponte acceſſuri eſſent. Sed id *praeter* plurimorum, credo, expectationem, imo *aduerſus* vulgarem fidei excitandae modum, egit Seruator, quod, cum tam facilem diſcipulos conuincendi rationem non ſolum in promtu habuerit, ſed etiam expromſerit, ea tamen, quibusdam adhibitis, vt videtur, ambagibus, adiunctaque difficiliori docendi methodo, demum vſus ſit.

Etenim cum diſcipulis ſtatim ſe viuum, et conſpiciendum, ſiſtere potuiſſet, per angelos *primum* mulieribus, vnctum venientibus, reſuſcitationem annunciari curauit; *Luc. XXIV. 9.* *deinde* his ipſis obuiam

factus, *Matth. XXVIII. 10.* ad enarrandum portentum eas alacriores fecit: *porro* cum duobus diſcipulis iter faciens *longiſſimum* de Prophetarum praedictionibus colloquium habuit; ſed *ad momentum* ſaltem ſe ipſis priſtina forma conſpiciendum praebuit; *Luc. XXIV. 31.* denique pedetentim, longioris demum aſpectus copiam diſcipulis fecit. E qua hiſtoria non ſine admiratione cognoſcas, Seruatorem per *nuncios* prius, quam per *ſe ipſum;* per *teſtimonia* Prophetarum antiqua magis, quam per certiſſimum, et recens, *ſenſuum iudicium*, diſcipulis ſuis innoteſcere voluiſſe; nec minus, cum iam oculis, manibusque, comprehenſus eſſet, ad antiqua tamen teſtimonia ſemper rediiſſe; Thomae tandem apertam fidem, et profeſſionem, quaſi parum aptam, graui reprehenſione correxiſſe, *Ioh. XX. 29.* Videri enim poſſet *certa incertis*, *teſtimonia ſenſu*, praetuliſſe, et fidei non tam e *certitudine*, quam ex *origine*, inſolitum pretium ſtatuiſſe.

E quibus *indiciis*, de modo diſcipulos conuincendi Seruatori probato formatis, illud quidem eſt veriſſimum, quod antiquis teſtimoniis plus, quam ſenſuum iudicio, dede-

dederit; caeterum autem quicquam eum omiſiſſe, aut omnino iuſto longius diſtuliſſe, quod ad certam reſurrectionis cognitionem pertineret, nulla ſuſpicari ratione licet; cum nihil antiquius habuerit, quam vt deſtinatos ad vniuerſas gentes legatos doctrinae, ad finem vsque orbis duraturae, certiſſimos redderet, eorumque efficeret aduerſus omnia tela, ipſosque cruciatus, inuictiſſimam fidem. Quodſi vero quid in hoc negotio praeter expectationem, noſtramque rebus geſtis fidem conciliandi conſuetudinem, accidit, id non, quaſi a nobis corrigi poſſit, ſed potius tanquam exemplum, vnde diſcere queamus nouam docendi legem, contemplandum eſt.

Senſuum nempe, quod negari nequit, maxima quidem vis eſt ad exiſtentiam rerum *certo* cognoſcendam; nec iudicium illorum ope formatum vllam relinquere ſolet dubitationem, dummodo res percipiamus, quibus percipiendis iam aſſueuimus, ſiue *quas*, aut *quales*, quotidie oculis, caeteriſue ſenſibus, vſurpare didicimus. Quod ſi vero rem plane inſolitam, et quam fieri poſſe non ſolum non ſuſpicamur, ſed plane negamus, ſubito ſenſibus percipiamus, dum

ipſis ſuis, vt quis diffidat, ſenſibus contingere poteſt, imo omnibus continget, qui eius rei experimentum capiendi habeant facultatem. Exemploque nobis eſſe poſſunt diſcipuli Chriſti, ſubita magiſtri apparitione *Luc. XXIV. 37.* mirifice perturbati, et, quamuis de eius aduentu praemoniti eſſent, in tremendi tamen ſpectri ſuſpicionem coniecti. Vnde apparet, *praeparatione* quadam, et παιδαγωγίᾳ, opus eſſe, vt ipſis ſenſibus ſua vis in rebus ſupernaturalibus conſtet; iſtamque non eandem apud omnes adhibendam eſſe, ſed, pro diuerſo animi ad conuictionem adducendi ſtatu, plus minusue *apparatus*, admonitionisque, requirere.

Cum autem duae reperiantur cauſſae, quae fidei, ipſo ſenſuum teſtimonio adiutae, impedimentum afferre ſolent, *nouitas* rei, et apparens quaedam *impoſſibilitas*; praeparatio iſta duabus conſtat partibus; partim vt *ſemina doctrinae* longe ante in animo *ſpargantur*; deinde vt illa *impoſſibilitatis ſuſpicio* animo *euellatur*: quorum illud, ſi factum ſit, hoc quoque magna ex parte, vna opera, obtinetur. Facilius enim

id

id cogitatur, accipitur, creditur, cuius aliquam iam, licet obſcuriorem, *praenotionem* habemus: neque id, ſi memores rerum noſtrarum ſimus, ſibi repugnans, et abſonum, pronunciare poſſumus, quod iam ante, quamuis non ſatis apertum, animo complexi ſumus: quin potius fit, vt animo ſic inſtructo ad ſpectaculum rei nouae accedentes, eam non tanquam plane *nouam*, aut nobis *obtruſam*, ſed tanquam *expectatam*, intueamur; nec, ſi quid dubitationis ſuperſit, *credulitatis* notam timeamus, ſed *tarditatem* potius noſtram in amplectenda re vere geſta accuſemus.

Hanc certe legem Seruator noſter ſecutus vbique eſſe legitur. Nam antequam mala, officii cauſſa ſibi imminentia, adiret, cum illa ipſa, tum reſurrectionem futuram, diſcipulis mature, et aperte, praedixit, *Matth. XVIII. 32. 33.* et orationi autoritatem, praefamine a vaticiniis Prophetarum deſumto, *l. c. v. 31.* quantam ingenium diſcipulorum patiebatur, conciliauit. Quamuis vero tum diſcipuli iſtarum rerum, vehementer ſpei ſuae repugnantium, intelligerent nullam, nedum omnia crederent;

 l. c.

l. c. v. 34. dubitandum tamen non eſt, *praenotionem* quandam, inprimis *reſurrectionis*, diſcipulorum mentibus eſſe iniectam, vnde, tanquam e foecundo ſemine, ſuo tempore, fides feliciter excreuit, dum Seruator ad eam, tanquam ad teſtimonium quoddam internum, toties prouocauit, quoties veritatem reſurrectionis probatam illis dare voluit. In eum enim, magiſtri prudentia, adducti erant locum, vt aut Moſi, caeteriſque Prophetis, fidem detrahere, omnemque erga magiſtrum reuerentiam abiicere, aut reſuſcitatum magiſtrum credere, neceſſe haberent. Vti autem acerrimi ſcriptorum propheticorum cultores erant, et magiſtri ſui, poſt ipſam mortem, reuerentiam retinuerant; ita, cum tot *apparitionibus* ad certi quid, in alterutram partem, ſtatuendum vrgerentur, non turpis abnegatio ſecuta, ſed fides tandem luculenta, adiuuante Spiritu Sancto, enata eſt. Quo in exemplo diſcere poſſumus, quid ſit illud προσέχειν τῷ προφητικῷ λόγῳ, *attendere prophetico ſermoni, quaſi lucernae lucenti in loco caliginoſo, donec dies illuceſcat, et lucifer oriatur in cordibus noſtris, 2 Pet. I. 19.*

Ita vero apparet, Seruatorem noſtrum *fidei excitandae artem* non neglexiſſe, ſed potius ad vſum tranſtuliſſe, et eximio exemplo nos docuiſſe. Non enim incerta certis, vt prima fronte videri poterat, praetulit, dum *teſtimoniis* magis, quam *ſenſu*, fidem diſcipulorum niti voluit; ſed ab *inſitis* potius *principiis*, nempe a Prophetarum dictis, quibus iam dudum imbuti erant, ad credendum id *totum*, quod *ex parte* oculis percipiebant, Apoſtolos ſcite adduxit.

Quod vero non qualiscunque fides Chriſto placuit, ſed ſera illa, quam diſcipuli tandem pectore conceperunt, improbata legatur; id non tam e generali fidei notione, quam e fidei in reſuſcitatum Seruatorem peculiari natura, cur factum ſit, intelligitur. Non ſatis nempe eſt fidei ſalutari, noſſe, nec dubitare, illum, qui iniuſte in crucem actus, et mortuus eſt, viuere; ſed *Dominum noſtrum*, et *Seruatorem viuentem* adorare debebant diſcipuli, et poſt illos quisque adorare debet, qui nomen Chriſtianum profitetur. Reſuſcitatum igitur Seruatorem quisquis negat, et *mendacii eos arguit*, qui eam reſuſcitationem praedixere: et *obſequium ſubtrahit Domino* ſuo, cuius effatis cre-

credere, pars obſequii eſt: et *reuerentiae, pietatisque obliuiſcitur*, dum tanquam mortuum luget, de cuius glorioſa vita exultare debebat: et *ſpernit beneficia*, quae niſi per reſurrectionem Chriſti non obtinentur. Contra ad *officium*, et *obſequii*, et *pietatis*, et *gratitudinis*, redit, qui Dominum, et Seruatorem ſuum, reſuſcitatum *negare* deſinit. Vti enim Thomas, ſimulac reſuſcitatum ſeruatorem agnouit, eum et Deum et Dominum ſuum profeſſus eſt; ita quousque eum reſuſcitatum negauit, eousque neque Deum, neque Dominum, eum agnouiſſe colligimus. Quae omnia ad *dubitantes* facile transferuntur. Iam cogita, nonne increpatione dignus ſit, qui, Thomae inſtar, ſero, et prope vltimus, ad obſequium, et ad reuerentiam, Domini ſui vel accedit, vel redit? quique beneficia ſibi oblata, non niſi ſexcenties admonitus, in aliquo habere numero, et grata mente accipere, incipit?

Quodſi igitur *demonſtrare* quis, hoc eſt, *ad conuictionem vsque docere*, reſurrectionem Chriſti, ad illius exemplum, velit; eaque ipſa *teſtimonia*, quae ſcriptura copioſe tradit, *diſſerendo augere*, et ad ſuorum

forte

forte *temporum ſtatum accommodare* cupiat; *primum* habet, quod caueat, *ne*, *diuiſa Chriſti perſona*, *ſolum doceat*, *hominem iſtum*, *quem mortuum eſſe ipſi infideles concedunt*, *vitam poſt triduum recepiſſe*. Poſſumusne enim ſperare, id prudenter a nobis fieri, quod Seruator, cum breuiſſime efficere potuiſſet, efficere noluit? *Operam* nempe *perdit* talis, qualem improbamus, demonſtrationis autor: ſiquidem qui Chriſtum non vt Deum et Dominum noſtrum, a mortuis reſuſcitatum, agnoſcit et adorat, ſi eum vel maxime reſuſcitatum, credat, a vera fide alienus eſt, nec Chriſtianum, ſed hiſtoricum profanum agit. *Male* praeterea, et peſſime, *Chriſtum docet*, qui cum tanquam nudum hominem cogitare, et ſpectare, homines docet.

Altera docendi reſurrectionem Chriſti regula, quam ab ipſo Seruatoris exemplo diſcere poſſumus, ad *praeparationem*, et paedagogiam, pertinet; qua toties opus eſt, quoties diſcipulos nanciſcimur, qui reſurrectionem, nihil tot teſtimoniis moti, praefracte negant. Seruator quidem hinc Prophetarum vaticiniis, hinc ſuis ipſius effatis,

ſatis, diſcipulos ad fidem adduxit, adhibito ſenſuum, vt apud infirmiores, auxilio. A nobis vero res tota gerenda eſt teſtimoniis; idque vnum ſaltem nobis licet, doctrinas reuelatas hoc, illoue, qui nobis maxime commodus videtur, ordine tradere. Multum autem intereſt, quibus dogmatibus iam inſtructus ad caetera diſcenda accedas. Hic inprimis tenendum, *eum, qui Chriſtum Deum, et hominem, confitetur, omnia abunde tenere, quibus ad intelligendam, credendamque, reſurrectionem aptus redditur.* Quare per hunc potiſſimum doctrinae articulum, reſuſcitati Seruatoris empaectae ad veritatem adducendi ſunt. Quousque vero iſtam primariam veritatem pertinaciter negant, ad reſurrectionis myſterium non adducendi, ſed ab eo omni modo arcendi ſunt; cui ſi vel maxime, teſtimoniorum copia conuicti, fidem tandem haberent, nullam tamen, quae ad ſalutem ipſorum faceret, vtilitatem reportarent.

Haec vero ad *docendam* Chriſti reſurrectionem pertinent: *diſputandi* autem de veritate tam ardua *leges certae* dari nequeunt; cum

cum eo declinandum ſit in diſceptationibus, quo aduerſarii ſophiſmatibus rapimur. Hinc igitur ſaepe fit, vt ſubtilius quaeramus res, quae ad doctrinam ipſam nihil pertinent; eo ſaltem fine, ne illa argumenta, quibus homines profani veritatibus ſanctioribus inſultant, doctrinae ſpecie rudioribus ſeſe commendent. Id quod cum in caeteris Locis theologicis, tum in doctrina de reſurrectione contingere vidimus, in qua multae iam ſunt quaeſtiones, quibus ſi quid temporis, et cogitationis acrioris, tribuunt veritatis amantes, non id agunt, vt noua fingant dogmata; ſed, ne aliqua veritas inſolubili conſtricta, aut plane iugulata, videatur nodo, ſolliciti cauent. Pertinent huc inprimis illa, ſi Humfredum Dittonum audias, frequentiſſime propoſita: *cur non, praeſente multitudine, et ſpectantibus hoſtibus, Seruator ſurrexerit?* in qua inimici veritatis multum ſe iactare ſolent; quam male, et quam exigua cum *rationis* ſpecie, *hodie, finitis ſacris publicis, breui oratione,* doctrinae in hoc literarum emporio feliciter comparatae ſpecimen daturus, explicabit

PAV-

PAVLVS ELIAS MVLLER,
Meiningenſis:

ad quem veſtrum commilitonem ſtudioſe audiendum, CIVES, amice, quod ſperat, confluetis; caeterum, tempus hoc ſacrum cogitationibus piis, actionibusque Chriſtiano nomine dignis, more veſtro, transigetis, ac, pro virili, celebrabitis.

P. P. Fer. I. Paſchali A. R. S.
MDCCXLV.

III. PAN-

III.

PANDECTAE SOLATIORVM

ILLVSTRIS GYMNASII COBVRGENSIS
DIRECTOR, ADIVNCTVS
caeteriq. PROFESSORES
CIVIBVS SVIS
S. P.

In tanta malorum, quibus ſinguli, per interualla, vexantur mortales, mole, liberari equidem ſuo quam citiſſime onere nemo non cupit; ſed cum id, per diuinae ſapientiae rationes, tum, cum quisque vult, fieri non ſtatim poſſit, *ſolatiis* tantiſper labantem ſuſtentare animum homines afflicti neceſſe habent. Sed cauſſae appetendi ſolatia, et, ſi quidem monitor adſit, expromendi, tam crebrae exiſtunt, vt, ſi quod aliud, frequentiſſimum ſit poſcendorum, reddendorumque, ſolatiorum inter homines, certe inter amicos, commercium. Nec tamen res ſemper ſuccedit ex vtriusque, dantis nempe et accipientis, voto, ſed tam abſtruſa arte, ancipitique euen-

tu, geritur, vt dolorem plerumque videas amicorum colloquiis exulcerari magis, quam leniri; multoque plures reperias conſolatores *moleſtos*, vt appellat *Iobus XVI. 2.* quam *veros* et *commodos.* Subleuauit autem iſtam hominum inertiam ſummum Numen, dum, vna cum *mediis* obtinendae *ſalutis*, per Prophetas, et Apoſtolos, ampliſſimum generi humano porrexit *ſolaminum apparatum*, vt, quos olim gaudii, omni expectatione maioris, participes redditurus eſt, his ipſum ad gaudia iter, quantum inter ſpinas licet, redderet venuſtum. Seruator hinc noſter non ſolum ipſe leuamenta dolorum copioſe docuit, ſed et ſupremum eorum diſpenſatorem, Spiritum S. PARACLETVM oſtendit, et promiſit; qui diuinam hanc Apoſtolos edoceret artem, perque horum ſcripta, ad finem vsque mundi, in fidelium animis ineffabili quadam, vt Deum decet, ratione exerceret, *Rom. VIII. 26.*

Vti enim libri ſacri impulſu ſunt ſcripti Spiritus Sancti, quem toties fere *conſolatorem* appellat Seruator, quoties ad eius aduentum expectandum diſcipulos exhortatur: *Ioh. XIV. 25. XV. 26. XVI. 7.* ita dubitare

bitare non licet, in Prophetarum, et Apoſtolorum, ſcriptis ea abunde contineri omnia, quae ad ſolatia, in omni rerum aduerſarum genere, capeſſanda maxime ſunt conducibilia. Et ipſa quidem rudior, nec ad id cognoſcendum inſtituta, ſacrarum paginarum lectio nihilominus docet, Spiritum, qui autores agitauit, non poſtremum ſibi conſtitutum habuiſſe finem, vt lectoribus ſolatia non deeſſent: ſi vero doctrinis paulo magis imbutus, et rerum Philoſophicarum accedat peritior, is plane perſpicit, ad erigendas proſtratas mentes inibi omnia ita conſpirare, vt, ſi vniuerſos Scripturae libros vt vnum ſpectes librum, hic PANDECTAS SOLATIORVM, vel *Syſtema*, efficere videatur. *Syſtema* nempe veritates vniuerſales, easque ordine naturali copulatas, comprehendit. *Pandectas* autem voco corpus doctrinarum cuiuscunque generis ad idem ſubiectum ſpectantium.

Manifeſtum quippe eſt, quot triſtitiae ſunt genera, vel e varietate malorum, vel ex diuerſa eorum magnitudine, oriunda, tot *ſolatiorum* quaerendas, et conſtituendas, eſſe formas. Vt enim TRISTITIA eſt *ſen-*

ſus mali; ſic SOLATIVM eſt *deminutio* huius ſenſus ingrati, ſiue *triſtitiae.* Et fit quidem, vt imminuto malo, ipſe eius minuatur ſenſus: ſed iſta tamen triſtitiae depulſio, *auxilii* magis nomine, quam *ſolatii* ſolet indicari. Quod ſi vero, *manente malo*, *ſenſus eius*, *alia quadam perceptione oppoſita*, *imminuatur*, id tandem eſt, quod SOLATII nomine vulgo compellatur. Sed *triſtitiae* vti indolem, ſic remedia, deſcribere ſolent Philoſophi, atque diligenter praecipere, vt is, qui vel ſuam velit, vel alterius, leniſe triſtitiam, aut malum oſtendat vel nullum eſſe, vel certe non tantum, quantum reputat afflictus: aut vt commemoret bona, quae malo partim adhaereant iam iam, partim iuſto ſint tempore ſucceſſura. Quae vt vt dicantur egregie, in magnis tamen calamitatibus, et curis, ſi nihil vltra praeſtes, non multum valere, vſus eos, quibus cum moeſtis commercia fuerunt, docuit. Nempe vt in omni fere alloquio praefamine quodam, et *captatione*, quam dicunt, *beneuolentiae*, vtimur, vt id, quod audientem minus forte delectet, aut plane offendat, aequo tamen accipiat animo; ita, ſi cum hominibus vel vere, vel

ſuo

ſuo iudicio, miſeris agas, eo magis *prologo* opus habes, quo certius eſt, nihil facile apud triſtes proferri, quod non, quaſi telo traiecti, indignentur. Is nempe *dolor*, qui vtrique argumentorum generi, quod ad triſtitiam mitigandam vulgo commendatur, audiendo fauet, non niſi *mediocris*, et leuis, eſt: *grauior* ita commouet animum, vt hic nec orationem ferat, quae ad malum extenuandum tendit, nec vlla bonorum futurorum, et diſſitorum, ſpe tangatur. Sic enim *Moſes* ſeruientibus duriſſimam ſeruitutem Iſraelitis libertatem annuncians non auditur, nempe prae *anguſtia*, *et prae ſeruitute dura*, *Exod. VI. 9.* Et, vt loqui piget triſtes, ſic alloquia pleraque indignantur.

Curae leues loquuntur: ingentes ſtupent. SEN. *Hippol. 604.*

Patet tamen certa via, qua id, quod Philoſophi fieri praecipiunt, recte, et vtiliter fieri, quaque dolori ſine repulſa obuiam ire, licet. Si nempe I. *ipſam mali imaginem vere deſcribas.* Haec enim vna moerentibus ſuauis eſſe ſolet auditio: ſiquidem hic *ſuas* cogitationes, ſuamque vident ex-

preſſam mentem. Id vero non qualicunque modo, ſed *recte*, agendum eſt; vt non *alienum*, ſed id ipſum, quod in quaeſtione eſt; nec *diſtorta* quadam *ratione*, ſed *ad viuum*, deſcribatur, et plane depingatur. Quae quantae artis res ſit, non eſt, quod hic oſtendatur.

II. Multum autem intereſt moerorem vix dum animo conceptum, ſeu *nouum;* et *antiquum*, ſeu *diu* iam *animo geſtatum*. Dum nempe mens noſtra ſaepius *mala* acriter cogitat, et partes in omnes, quod in omni longiori cogitatione fit, verſat, ipſum malum nouam accipit formam: animusque tandem non tam *malum*, quale in ſe eſt, ſed *ſe ipſum* funeſtis mali imaginibus plenum, intuetur. Hinc nouus veluti *ſenſus internus;* quem alienae a vero mentis ſtatu ſententiae non minus laedunt, quam iniectis ſolet vncis, et vnguibus, vulnerum dolor exacerbari. Si quis ex aduerſo accedat, qui confuſa mentis cogitata aptis, naturaeque conſonis, explicet verbis, is, quaſi opportunus interni ſenſus interpres, patienter, et lubentiſſime, audietur.

Accedit III. dolorem, ſolicitudinemque, e *longitudine temporis*, et *diuturnitate*, varias

rias induere formas; quas idoneis exprimere verbis, quanto plus artis requirit, eo magis anceps eſt negotium *apta* proferre leniendo dolori verba.

Iſta autem omnia mentis humanae arcana, minus a Philoſophis animaduerſa, ita diligenter, et copioſe, iisque expreſſa verbis, in ſcriptura Sacra reperias, vt nihil naturae noſtrae fingi, cogitarique, poſſit magis appoſitum. Palam enim 1. eſt, variam piorum hominum fortunam, malorum proſperitates, et ſupplicia, tot in codice ſacro exemplis ideo demonſtrari, vt quisque mali, cuius ſenſu cruciatur, expreſſam ibi reperiat imaginem; id quod, vti oſtendimus, primus appropinquantis ſolatii gradus eſt. Cumque praeterea quisque, ſe vnum, peculiari quadam affligi ratione indigniſſime ferat, lector, triſtitiae medelam in libris ſacris quaerens, minus ſtatim ardebit, ſimulac antiquos malorum conſpexerit ſocios.

Lenius luctus lacrymaeque mordent,
Turba quae fletu ſimili frequentat. SEN. *Troa. 1009. 1010.*

2. Quo vero tendunt illa piorum virorum ſuſpiria, et *queſtus*, quibus Pſalmi, Prophetarum tabulae, omnesque libri ſacri, ſcatent; quique nihil aliud ſunt, quam *iudicia intuitiua ſenſu interno de ſtatu animi collapſi formata*, aptiſſimisque formulis expreſſa, quam eo? vt, qui vel minus ingenio prompti ſunt, quam vt de ſuo ſtatu iudicia formare, nedum ea eloqui, poſſint; quique nondum ex ſtupore colligere animum potuerunt, ad hunc alterum comparandi ſolatii gradum addúcantur. 3. Quod vero tanta tradatur copia ſententiarum prope ſimilium, id eo pertinet, vt, quamcunque dolor, et cura, formam aut a *malorum diuerſitate*, aut *temporis*, et *morae*, diuturnitate, aut reliquo, qui in hominibus varius eſſe ſolet, animi ſtatu nanciſcatur, vnius cuiusque tamen, vt *Pandectarum* nomen poſtulat, imago, et character, viuis extaret depictus coloribus. 4. Et eam tamen ſingularem eſſe adhibitam reperias artem, quod interni ſenſus *piorum* inprimis hominum legantur expoſiti, qui, altero in ſua mala, altero in Deum, defixo mentis oculo, non acerbas, et ad deſperationem inclinatas, ſententias loquuntur, ſed ſenſu,

et

et contactu, ſummi boni mitigatas, et quodam *odore ſolatii* iam adſperſas.

Cum igitur quae ad inſtillanda mentibus ſolatia maxume pertinent, quamuis eo pertinere vulgo minime reputentur, tam abunde, et ſcite, in ſcriptura ſint tradita; non eſt dubitandum, libros hos eius Spiritus impulſu eſſe ſcriptos, quem Parácleti nomine Apoſtolis promiſſum eſſe legimus. Is autem, praeterquam quod in ſuis Pandectis, quicquid rationis praecepta exigunt, praeſtitit, cunctos amplius homines, qui in ſolatiis inueniendis, et porrigendis, ſuum poſuere ſtudium, longiſſime ſuperauit. Quamquam etiam ex ipſis ſcripturae doctrinis, quibus fruimur, quales eſſe debeant, vt naturae hominum congruant, facilius intelligamus; non fuit tamen in vllius hominis olim poteſtate poſitum, ea quae leniendo moerori inſeruirent, e doctrinis rationis, ſuoque indagare ingenio. Agnoſcamus itaque diuinos eſſe libros, qui difficillimam artem ita explicant, vt eorum autores, nulla ſequendo artis praecepta, artem totam exhauſerint.

Exhauſtam autem ſalutarem iſtam artem eo maiori fiducia aſſerimus, quo vtrumque

diligentius agit ſcriptura; nempe et remedia doloris proponit; quod, tanquam notiſſimum, certiſſimumque, verbo ſaltim attingimus; et, quod difficillimum eſt, vt animus remedia non reſpuat, ſed admittat, et appetat, eo modo, quo oſtendimus, efficit. Deprehendimus enim 1. exempla calamitatum, et curarum, lectiſſima: 2. iudicia hominum interna de ſuis curis, et doloribus, aptiſſimis formulis deſcripta: 3 eaque ad omnes dolorum ſpecies, et formas, accommodata: 4. pro ſententiis hominum falſis de ſuis malis, iudicia veriora: 5. promiſſiones futurorum bonorum. Quae doctrinae, ſi ad vſitatas doctrinarum referantur ſpecies, partim ad *hiſtoricam cognitionem* pertinent, partim ad *vniuerſalem*: partim *ſimplicem ſtilum*, partim *ſententioſum*, et *poëticum*, poſtulant: adeoque Syſtema quidem ſenſu latiori ſumptum, ſed non Syſtema veritatum vniuerſalium, quod per eminentiam *Syſtema* vocatur, conſtituunt, et propterea *Pandectarum* nomine rectius ornantur.

Neque tamen cogitandum eſt, nihil, poſteaquam literis haec conſignata extant, ſupereſſe, quod Spiritus Sanctus in cordi-

bus

bus agat fidelium; quoque munus ſuum paracleticum in afflictis grauiter exerceat. Praeterquam enim quod hoc ipſum, quod Scriptura efficit, Spiritus Sanctus agat; ſuperſunt adhuc in ſolatii vel ſenſu, vel excitatione, ἀλάλητα quaedam, Rom. VIII. 26. et *perceptiones*, quas Apoſtolus, etſi ſint *ſubobſcurae*, cum notis tamen verbis, perſpicuaque ratione, explicare vellet, *ſuſpiria* appellauit, haecque, quamuis ſint *hominum*, *cauſſae* tamen mouenti, et excitanti, ceu praecipuae, Spiritui nempe Sancto adſcribit.

Quae omnia docent, has certe Scripturae partes *non eſſe voluntate hominum prolatas;* quod *Petrus 2 Ep. I. 21.* de vniuerſa ſcriptura pronunciat; iisdemque verbis perſpicuam notam proponit, qua falſas, et ſpurias, reuelationes a vera, et genuina, coeleſti veritate diſtinguere poſſumus. Cum enim falſa reuelatio a voluntate hominum proficiſcatur, non poſſunt non in ea voluntatis humanae, corruptae nempe, et ab intellectu non ſano male excitatae, indicia apparere. Id quod noſſe cum ad detegendas falſas prophetias, vindicandamque Spiritus Sancti, qui Prophetas, et Apoſtolos, agita-

agitauit, gloriam inprimis pertineat; ab huius diei ſanctitate minime alienum eſt, quod Veſter, CIVES, Commilito diligentiae, omnisque virtutis, laude conſpicuus:

MARTINVS SEBASTIANVS MVLLER, *Gleiſena Coburgenſis,*

hodie, *a ſacris Mauritianis*, orationem de *Notione falſae reuelationis Petrina 2 Petr. I. 21.* recitabit: cui audiendae ſi partem eius temporis, quod totum ſacris meditationibus deſtinatum eſt, tribuetis, et quod Veſtri eſt officii, et humanitatis, in hominem Vobis percharum, documentum praeſtabitis, vnoque impleto officio reliquis, quae temporis ratio poſtulat, obeundis alacriores Vosmet ipſos reddetis, iisque, qui veſtra delectantur virtute, demonſtrabitis. *P. P. I. Fer. Pentecoſt.* CIↃ IↃCCXLV.

IIII. ΛΟΓΟΣ

IIII.

ΛΟΓΟΣ

ΠΑΣΗΣ ΑΠΟΔΟΧΗΣ ΑΞΙΟΣ

1 Tim. I. 15.

ILL. GYMNASII CASIMIRIANI
DIRECTOR ADIVNCTVS et
PROFESSORES RELIQVI
CIVIBVS SVIS

S. D.

Si res omnes ad communem hominum, eamque certam; notitiam perferendae multiplici vel teſtimoniorum, vel rationum idonearum, confirmatione indigent, eae certe firmiſſimis ſunt veritatis indiciis muniendae; quae omnem ſuperant hominum, vel praecurrunt, expectationem. Cuius generis veritatibus cum, magno piorum conſenſu, palmam praeripiat Filii Dei inter homines apparitio; hanc ita patefactam eſſe; vt ſit teſtatiſſima; nemo dubitabit.

bit. Primos enim et aduentantis, et iam iam in praeſepio vagientis, ſeruatoris interpretes, et praecones, conſtitutos legimus angelos; Luc. I. 28. II. 9. 13. quorum poſtea fidem et vnigeniti filii de ſe ipſo aſſeueratio, et coelo delapſa Patris vox: Matth. III. 17. et tota rerum a Seruatore geſtarum ſeries, plus ſatis confirmauit. Quae fidei quidem noſtrae fundamenta, ceu ſolidiſſima, et a machinis hoſtium filii Dei ſatis munita, veneramur: nec tamen iisdem pietatem noſtram vnice putamus eſſe ſuperſtructam. Accedit enim ad iſtud teſtimoniorum robur ipſa doctrinae ſuauitas, cuius beneficio hominum mentibus, ſalutis ſuae cupidis, leniter illabitur, et ad intimum animi ſenſum deſcendit. Neque nunc lubet eorum exemplis hominum diſputare, quos vnius Apoſtoli vna, et nuda, narratione ad obſequium fidei pertractos legimus; ſed Paulum ſolum ſententiae noſtrae teſtem, vel potius autorem, grauiſſimum excitamus: cuius verba 1 Tim. I. 15. ſic fluunt: πιςὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος; ὅτι Χριςὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι: *Certus eſt ſermo, et dignus, qui omnibus modis recipiatur, Chriſtum Jeſum in mundum veniſſe, vt peccatores ſeruaret.*

Dogma,

Dogma, cuius commendationem diuus Apoſtolus hoc commate ſuſcipit, ad *Finem* pertinet *venientis* in mundum Seruatoris. Salus nimirum peccatorum Dei filium e coeleſti ſede excitauit. Quam veritatem dum ſumma fide, ac religione, amplectendam Apoſtolus aſſeuerat; ipſam ſimul de incarnato Dei filio doctrinam, vna eademque laude, commendat. Cuius enim rei *finem* vt ſcias et tua maxime refert, et rei dignitas poſtulat, *illam ipſam* vt noſcas, ſimiliter et tua commoda, et rei dignitas, poſtulabunt. Quare ſi doctrina de Aduentu Seruatoris, eiusque natiuitatis *fine*, πιςὸς eſt, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ipſe aduentus Chriſti, atque eius natiuitas, πιςὸς quoque eſt, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. Vtrumque ergo huius doctrinae ornamentum, a Paulo propoſitum, vti ad confirmandos Chriſtianorum animos plurimum habet virtutis, ſic altiſſime infigendum eſt pectori, et identidem πρὸς οἰκοδομὴν memoria, et ſermonibus, celebrandum. Sed τὸ πιςὸν doctrinae de filio Dei carnis participe facto, conclamatis annumeratur a coetu puriori veritatibus. Plus laboris in eo collocandum cenſent Euangelii Antiſtites, vt λόγον *omni*

modo

modo.ſuſcipiendum, auditores non auribus tantum, ſed et maxime pectore, excipiant; neque, quam ambabus amplecti debebant manibus doctrinam, extremis vix attingant digitis. Dum enim Paulus ἀποδοχὴν non qualemcunque deſiderat, ſed πάσην; certe non ſimplex quod, et ad efficiendum facillimum, ſed aut in multas *partes* diuiſum, aut per varios *gradus* demum ad ἀκμὴν perducendum, negotium indicat. Intereſt igitur doctorum, pariter atque diſcentium, vt πάσης ἀποδοχῆς certam, et paulo vberiorem, habeant notionem; vnde et verae doctrinae regulae, et valida pietatis incitamenta, commode eliciantur.

Ἀποδέχεσθαι, quod à δέχεσθαι, ἀναδέχεσθαι, προσδέχεσθαι non multum ſignificatione differt, haud dubie, ſi originariam eius notionem ſpectes, perinde vt τὸ *ſuſcipere* Latinorum, ad res corporeas pertinet, quas aut manibus, aut vlnis, aut humeris, aut toto denique corpore aut *amplectimur*, aut *ſuſtinere incipimus*. Porro, quod ea, quae non inuiti ſuſcipimus, aliqua nobis ratione arridere, et placere, ſolent; hinc contigit, vt ἀποδέχεσθαι Graecis idem ſonaret, quod Latinis: *admittere*, *probare*, *laudare*.

Neque

Neque quiſquam eſt, qui non videat, *tranſlatae* huius ſignificationis partem eſſe, cum quis λόγον, *orationem*, *nuntium*, *mandatum*, alia huius generis, dicitur ἀποδέχεσθαι. Iſthaec enim rerum genera non *corpore*, ſed *animo*, ſuſcipienda ſunt, atque tenenda. Sed ἀποδοχὴ eiusmodi cum ſit in anima, duae ſeſe nobis offerunt ad eam rem aeque idoneae mentis facultates: *intellectus* nimirum, atque *voluntas:* quam vtramque ad ſuſcipiendas propoſitas doctrinas aptiſſimam a natura accepimus.

Intellectus enim noſtri ea eſt indoles, vt ſi *prima* rei perceptio, auditio, lectio, ingrata atque moleſta nobis ſit, auertere ſtatim ſenſus noſtros, vel occludere, vel ſeueriori quadam cogitatione hebetare queamus. Sin vero id, quod auribus noſtris illabitur, nihil nos offendat, vel, ſi aliquo modo offendat, aliunde tamen aliqua ſuauitate nobis commendetur, tunc patienter praebemus aures, coeptaeque lectioni inhaeremus, translata omni noſtra ad eam rem attentione, quae nobis proponitur. Sic PERCEPTIO λόγου, ſiue doctrinae, et orationis, in mente perficitur; quam *pri-*

mam *ἀποδοχῆς* ſpeciem; vel, ſi mauis, *πάσης ἀποδοχῆς initium* recte dixeris.

Accidit autem vt id, quod audiendo, legendoque, percipimus, maiori vel verborum, vel rerum, laboret obſcuritate, quam vt a nobis ſtatim intelligatur; quod ſi eueniat, *verba* potius, quam *rem* verbis expręſſam, percepiſſe videmur. Sin vero perſpicua oratio ad animum noſtrum pertingat, iam *rem ipſam*, intellecta vocum poteſtate, *apprehendimus*, tantoque eam melius, quanto a nobis rectius intelligitur, *comprehendimus:* Quo fit, vt SERMONEM INTELLIGERE, *alterum ἀποδοχῆς gradum* non male quis conſtituat.

Iam in omni oratione, atque in ſingulis eius partibus, aut verum, aut quaedam ſaltem veri ineſſe debet ſpecies; multumque intereſt, vtrum orationem, pro vera, quis ſuſcipiat, an vero tanquam falſam, reſpuat: an denique de rei veritate in alterutram partem nihil definiat. Is tamen ſolum *ſuſcipere* orationem recte dicitur, qui *doctrinam*, in ea comprehenſam, iudicio ſuo probat, et, quod alter protulit, id ſentit eſſe veritati conſentaneum. Hunc aſſenſum,

ſum, ſiue FIDEM, *tertium* numeranus *ἀποδοχῆς gradum.*

Iuuaret nunc in abdita noſtrae mentis deſcendere, atque perſpicere altius, quemadmodum eadem oratio, atque doctrina, aſſenſu, et fide, a multis auditoribus excepta, extremam ſaltem apud quosdam veluti mentis oram attingat; apud alios altius, et quidem per diuerſos gradus, deſcendat; apud paucos altiſſime pectori infixa haereat. Vnde fit, vt quis doctrinam ſuſceptam facilius dimittat, alius tenacius retineat, alius denique eam ſibi nulla ratione eripi patiatur. Sed haec accuratius definienda, plus quam Mathematicam *graduum* efflagitarent notitiam, nec tamen rem ſacram, quantum coniicere datur, multum iuuarent; niſi quod vltimus *ἀποδοχῆς* gradus, certam, et immotam, fidem notans, in Scriptura S. diſerte indicatur; *Marc. IV. 20.* vbi Seruator noſter, tanquam optimae notae auditores, excitat eos, *ὅιτινες ἀκȣ́ȣσι τὸν λόγον, καὶ παραδέχονται, καὶ καρποφορȣ̃σι*: et ita quidem hoc propoſitas doctrinas ſuſcipiendi genus a caeteris diſtinguit, vt iis, qui vacillante fide, et male firmata, verbum diuinum excipiant, non *τὸ ἀποδέχεσθαι*, aut *παραδέ-*

 χεσθαι,

χεσθαι, ſed τὸ λαμβάνειν tribuat l. c. 16. pro quo tamen *Lucas VIII. 13.* ponit δέχεσθαι. Nobis certe ex his conſtat, certum et immotum iudicium de veritate doctrinae propoſitae, ſiue SVMMAM FIDEM, *quartum* commode ἀποδοχῆς *gradum*, ſi non Philoſophiae, certe rei ſacrae, cauſſa conſtitui.

Et hanc quidem deprehendimus multiplicem intellectus facultatem, qua doctrinam ſibi oblatam, aut repraeſentatam, aut annunciatam, arripiat, atque ſuſcipiat. Neque tamen nullae ſunt *voluntatis* in his ἀποδοχῆς ſpeciebus partes; quin haec ſemper vna cum intellectu, et gnauiter, operatur. Vt enim doctrinae propoſitae attendas, voluntatis eſt; vt de veritate cognita et intellecta gaudeas, voluntatis eſt; vt doctrinam fide ſumma ſuſceptam conſtanter retinere velis, voluntatis eſt. Quae tamen omnia, quoad tecte, et occulte, in animo fiunt, nec ſatis virium, vt a nobis ſentiantur, habent, in vulgari *voluntatis* noſtrae contemplatione fere negliguntur. Vbi vero intellectus, officio ſuo veluti perfunctus, doctrinam non amplius *apprehendit*, aut *ſuſcipit*, ſed iam *apprehenſam*, et *ſuſceptam*, *retinet*, tunc *Vis* demum voluntatis aperte ſe prodit,

prodit, et in manifeſtum *amorem*, *fiduciam*, et *enixum rei cognitae ſtudium* erumpit. Sic noua ἀποδοχὴ enaſcitur, *viuae cognitionis* nomine, Philoſophorum pariter, ac *Theologorum*, ſcriptis celebrata; quae, ſaepius a doctiſſimis viris iam explicata, noſtra nunc non indiget interpretatione.

Non poſſumus autem non diſcrimen duarum ſpecierum hoc loco adnotare, quae ex hac *voluntatis ἀποδοχῇ*, ob diuerſam doctrinarum indolem, ſolent propullulare. Omnes equidem doctrinae, quae veritatem tradunt, aut veri certe habent ſpeciem, ita nobis plerumque placent, vt eas non ſatis habeamus noſſe, ſed vt easdem illaeſas ſemper, et incorruptas, conſeruari, et, quam fieri poteſt latiſſime ſpargi, omnibusque probari cupiamus. Id quod ipſe rerum vſus, familiaria hominum de rebus nouis colloquia, et grauiſſima doctorum hominum certamina luculentius, quam vt vocari in dubium poſſit, comprobant. Ineſſe autem, et latere, in iſto doctrinas propagandi ſtudio ἀποδοχὴν quandam, eamque crebriorem et enixiorem, facile intelligas, ſi tecum reputes, res eas, quas docemus, quas defendimus, quarumque ad plurimos peruenire

notitiam cupimus, toties eſſe denuo *apprehendendas*, quotiescunque quicquam illarum perficere rerum cupias. Etenim ſi id agas, vt doctrinae tibi charae propagentur per vniuerſum genus hominum, vtque contra inſidias aduerſariorum confirmentur, nihil ſane proficies, niſi veritatem ſaepius expromas, in eaque declaranda, ac confirmanda, omnem operam colloces. Sit igitur *primum ἀποδοχῆς*, quae quidem voluntate perficitur, *genus:* quod *crebriori ſuſceptae doctrinae tractatione*, *repetitione et declaratione*, totum continetur.

Sunt autem quaedam res, atque doctrinae, eius naturae, vt non cogitandae ſolum, docendae, et vindicandae ſint, ſed etiam ad *vſum*, et *praxin*, transferendae : in quo doctrinae *vbertas*, et *dignitas*, conſiſtit. Nec eſt, quod operoſe demonſtremus, vbertatis, et dignitatis, huius varios dari, et conſtitui poſſe, gradus; vtpote quos is ipſo rerum vſu cognoſcit, qui doctrinas, ab ineunte aetate ex inſtitutione magiſtrorum hauſtas, ſuis cum actionibus comparauerit. Vti enim *pietas*, monente Apoſtolo, *1 Tim. IV. 8. ad omnia eſt vtilis;* ſic caeterae doctrinae, minus ſanctae, non quidem aeque infini-

infinitum, ſatis tamen late patentem, vſum in negotiis, vitaque honeſte, prudenterque, gerenda nobis praeſtant.

Ita vero quo grauiores quaeque doctrina aut *agendi regulas*, aut *rationes*, tradit; itemque quo magis animum cupiditatum vinculis exſoluit, aduerſus pericula confirmat, et ad omne opus bonum, atque praeclarum, aptum reddit; eo enixioris ἀποδοχῆς ea digna eſt; vt nempe memoria tenaciſſime retineatur, nullo non in negotio ad vſum expromatur, ſicque, ipſo vſu, magis magisque confirmetur, et innumeris veluti clauis animo infigatur.

Sed ii, qui in praeceptis inſtitutisque Philoſophorum diu, mulrumque, verſantur, quia ibi nonniſi doctrinae, quas *vniuerſales* vocant, proponi audiunt, neque rerum geſtarum multam rationem haberi vident; vbertatem iis fere ſolum doctrinis imputare diſcunt, quae ex conſideratione *ſummorum generum*, in rebus obuiis latentium, eliciuntur. Neque negare licet, quamquam omnis doctrina res veras tradens ſit vtilis, ſi tamen contentio quaedam, et comparatio, vtilitatum ſit inſtituenda; atque ſi id quaeratur, quae ad tranquillitatem ani-

mi, ad comprimendas cupiditates, ad vitae prudentiam, maxime faciat? vix dubitari poſſe, illam doctrinam, quae naturas rerum, et cauſſas, exponit, eam longe vbertate ſuperare, quae res geſtas ſuperiorum temporum e tabulis vetuſtis, ad inſtar oſſilegii cuiusdam, inſtaurat, priſtinique mundi effigiem, qualis eſt in noſtra poteſtate, effingit. Falleretur autem vehementer, qui propterea aut hiſtoriam veterem non maximopere putet eſſe neceſſariam; aut in vniuerſum ſtatuat, vbertatem, eamque ſummam, non veritatum hiſtoricarum, ſed ſic dictarum *vniuerſalium*, veluti propriam eſſe. Quod ſi enim adſunt *res geſtae*, vnde noſtra, qua fruimur, pendet, et nata eſt, felicitas; aut ſi *futuras* noſtras fortunas, ſi eae nobis notae eſſent, moderari nobis detur: nonne haec praeteritarum et futurarum rerum doctrina, omnium caeterarum cognitionem longe vbertate ſuperaret? et propterea, cogitatione, fide, cura, atque omni denique ratione, eſſet ſuſcipienda et amplectenda?

Natiuitas certe Seruatoris, quemadmodum omni modo ſuſcipi mereatur, per hos dies, celebrando huic myſterio conſecratos, copio-

copioſe grauiterque monſtrabunt verbi diuini Antiſtites. Aliam autem ἀποδοχῆς partem, in defendenda veritate hac ſalutari poſitam, in ſe *hodie*, pro ingenii facultate, ſuſcipiet, *ſanctitatem Seruatoris a criminationibus C. Edelmanni*, apta oratione, vindicando, Ciuis noſter

IOANNES CHRISTOPHORVS KECKIVS, *Culmbacenſis Francus*:

Iuuenis alacritate ingenii, diligentiaeque laude, inter noſtros florens: cui, in literarum ſtudiis feliciter decurrenti, calcar addetur, ſi ad eum audiendum, a *Sacris Mauritianis*, conueniant, Illuſtriſſimus S. R. I. Comes, Gymnaſii noſtri Patroni atque Fautores, pro ſua quisque dignitate colend: Ciues denique noſtri; quos vti ſuae de Commilitone opinionis, ſic ſuarum virtutum, hoc maxime tempore ſacro, memores eſſe iubemus. *P. P. e tabula Caſimiriana: Fer. I. Natiu. Chriſti* cIↄ Iↄ ccxlv.

V.

AVTOR TESTIS NVBES TESTIVM

Ebr. XII. 1.

DIRECTOR ADIVNCTVS ET PROFESSORES RELIQVI

ILLVSTRIS GYMNASII ACADEMICI CASIMIRIANI CIVIBVS SVIS

S. D.

Quemadmodum rerum geſtarum fides ad abſentes, maxime ad poſteros, propagetur per *tabulas*, *documenta*, et *inſtrumenta*, ex alia proluſione cognitum, Ciues, meminiſtis. Sed iſta, quae tunc ſunt a nobis tradita, non ad vniuerſam fidei rationem, ſed ad eam ſaltem, quae ſcriptis nititur, fidem pertinent. Latius longe patet *teſtium*, ac *teſtimoniorum*, vſus, quem ita in re hiſtorica neceſſarium pleri-

que

que putant, vt fides, quae non teſte vllo, non teſtimonio, nitatur, ea omnino nulla ſit. Definiunt nempe *fidem*, per aſſenſum, quem praebemus teſti, vel teſtimonio, alterius. Quin quotquot extant Logicorum de fide cogitata, eorum vniuerſa ſeries docet, teſtem omnis fidei principium vulgo conſtitui. Sed iſtam aut teſtis notionem, aut fidei generationem, ſubleſti aliquid continere mox intelligetis, ſi ordinem propagandi ad diſſitos, et poſteros, rerum geſtarum notitiam penitius inſpiciatis.

Omnis nimirum res, quae fit, aut exiſtit, vt recte cognoſcatur, *praeſentem* aliquem SPECTATOREM poſtulat a). Ac fieri poteſt,

a) Vniuerſae cognitionis, quae hiſtorica dicitur, rationes a Logicis doctoribus hucusque neglectae ſunt. Intereſt tamen ſolidioris doctrinae, quae magna ex parte non poteſt non eſſe hiſtorica, vt perinde veritatum ſingularium, ſeu hiſtoricarum, certae proſtent regulae, vti veritatum *vniuerſalium* explicata exſtat indoles. Sed eius doctrinae vberrimae initium capiendum eſt a *notionibus* et *vocibus*, quae ſi fluxae ſint, et vagae, fruſtra de *regulis*, quae ſibi conſtent, formandis laboramus. Sed quale ſit OBIECTVM hiſtoriae, et quae ſint eius notiones fundamentales, legi poteſt in Logica S. p. 127. vbi de *notione hiſtoriae* agitur. Cum autem hiſtoriae haud paucae e SCRIPTIS ſint eliciendae,

teſt, vt ſpectator ſatis habeat, rem cognouiſſe, nec vlla tangatur cupiditate, alios ſuae cognitionis participes reddendi. Quodſi vero ſpectator, vt plerumque fit, aliis enunciet, quae ſpectauit, tum nouam veluti perſonam induit: quam AVTORIS nomine commode indicari putamus. Sed iſte *autor*, hoc eſt, *primus*, *qui rem geſtam enarrat*, non ſemper ſuis id ſtatim perſuadet, quod annunciat: ſiue quod res ipſa incredibilis videatur: ſiue iam ante ſuſpiciones malae fidei ſibi conſciuerit: ſiue denique in homines tardos, aut recte monita negligentes, inciderit. Quodcunque autem id ſit, quod fidem moratur, certum autor adiumentum habebit, ſi aſſumat alium quempiam, *qui idem enarret*, ſeu vno verbo, TESTEM. *Huius*, quod facile apparet, officium ab *autoris* prouincia nihil differt, niſi quod ad iſtam ſuſtinendam ſecundus accedat, et, *idem* agendo, vel potius *dicendo*, acta autoris confirmet. Nee minus

endae, horum diſcrimen explicatum eſt in *Programmate*, *ſuperiori anno Dom. Quaſimodog. P. P.* cuius titulus: *Tabulae*; *documenta*; *inſtrumenta*. Hic iam PERSONARVM diſcrimen oſtenditur, quarum fide cognitio hiſtorica nititur; nempe *autoris*: *teſtis*: *ſuffragatoris*.

nus patet hunc, qui teſtis iam vice fungitur, itidem autoris perſonam ſuſtinere poſſe; ſi ad alium nempe edocendum primus accedat; poſſeque pro teſte evocare illum ipſum autorem, cuius ante teſtis fuit.

Hic diligenter illud inprimis notetis, ciues; hanc teſtis notionem eſſe illam ipſam, quam homines omnium gentium, a natura ipſa, vt videtur, hauſtam, omni tempore tenuerunt. Nempe in omni re geſta ab abſentibus cognoſcenda, opus eſt, non *teſte*, nedum teſtibus, ſed ſaltem *autore*; qui ſi attentos docilesque nanciſcatur diſcipulos, fides, eaque certa et immota, ſine vllo teſte, exiſtit. Hic enim tunc demum arceſſitur, ſi vnius autoris vox ad perſuadendos homines non ſatis valeat. Proinde, quae de teſtium ſolent diſputari *autoritate*, ea omnia primum ad *autorem*, vnde *autoritas* dicitur, pertinent; deinde ad teſtes demum prudenter transferri debent. Quodſi autem de *vtroque* ſimul, et confuſe, praecipias, neque autoris notio ſatis elucet, vti haec plerumque ne verbo quidem attingitur, et teſtis, quamuis nomen eius celebretur, officia plane obſcurantur.

Sed *autoris* dotes qui plenius cognoſcere cupit,

cupit, is neceſſe habet autorem, non a teſte ſolum, ſed ab eo amplius, diſtinguere, qui *ralata refert;* quem haud incommode SVFFRAGATOREM Latine dixeris. Id quod muneris, tametſi ſua non careat dignitate, et autoris officio affine ſit, peculiares tamen ſuas rationes habet. Quare cum multa de ſuffragatoris rebus dici poſſint, hic quidem duo ſaltem commemorabimus: alterum quod apud eos, quos docet, *autoris perſonam ſuſtineat;* alterum quod plerumque *autori pro teſte ſit.* Quod ſi nempe ea fiducia, ea grauitate, quae docentem decet, rem geſtam proponat, haud difficilius fidem a ſuis extorquebit, quam ſi hi ipſum autorem, hoc eſt, eum qui rei geſtae interfuit, audiuiſſent. Ipſe tamen nonnunquam autori maiorem fidem iudicio ſuo conciliat, partim eo, quia idem, quod ille, dicit; partim, quod ex eius aſſenſu coniecturam facere licet, autorem talem eſſe, qualem ſe profitetur, nempe idoneum rei geſtae interpretem. Sic vero in vnam ſaepe perſonam triplex munus: Autoris, Teſtis, Suffragatoris, conuenit; quae tamen ſingula ſunt diſtinguenda, ſi certitudinis hiſtoricae cauſſas accurate diſcernere, et explanare, velimus. Quam-

Quamuis nempe autor nonnunquam per ſeſe mereatur fidem, et vel inuitis ſaepe extorqueat, pro mortalium tamen conditione, ac rei ipſius indole, haud raro opus eſt, vt autor pluribus teſtibus atque ſuffragatoribus accinctus, et ſtipatus, incedat. *Suffragatorum* nempe numerus efficit, vt, quo eius *vox* non pertingit, *doctrina* tamen voce *ſuffragatorum* perueniat, ac plurimas terras, atque gentes, peruadat. *Teſtibus* autem non vna de cauſſa indiget. Nunc enim *tarditas* auditorum, ipſa multitudine eadem rem docentium, imo clamantium, ac quaſi conuicio, expugnanda eſt; nunc *ſuſpicio*, quae vel iure, vel praeter rem, fidei autoris opponitur, eiusmodi teſte tollenda eſt, in quem iſta ſuſpicio non cadit.

Sed quemadmodum ſuſpiciones, ab ingenioſe praeſertim petulantibus, innumerae moueri poſſunt, quibus ſingulis peculiaris teſtis eſt obiiciendus, ita ad fidem excitandam nihil magis valet, quam TVRBA TESTIVM. Vti enim *turba*, hoc eſt ingens multitudo, ex varii generis hominibus ſolet eſſe compoſita, qui nempe ſint variae *aetatis*, variae *doctrinae*, varii *ingenii;* ſic vbi turba adeſt teſtium, ibi, quicquid in

ali-

aliquo teſte ſuſpectum eſſe poteſt, alterius cuiusdam teſtis dote corrigitur et firmatur. Si nempe in aliquo teſte tibi diſpliceat *ruditas*, habebis alium doctrina abundantem, ſi aetatis *infirmitas*, habebis alium adultum, ſi *credulitas*, habebis alium pertinacem, ſi *opinionum* quarundam amor, non deerit quis teſtis iisdem opinionibus inimicus; denique quacunque ex parte quicunque teſtis tibi videbitur infirmus, praeſto erit alius, in quo illa ipſa pars ſana ſit, et omni exceptione maior. Quae omnia quum natura rei nobis dictitet, ſponte ſua animus noſter Logicae naturalis, huiusue inprimis partis, non ignarus, turbae teſtium aſſenſum praebere ſolet.

Iuuat nunc conſiderare, quemadmodum Scripturae ſacrae ſtilus cum hac ſerie notionum, ac vocum, conſentiat, quas, ceu ad fidei indolem cognoſcendam inprimis neceſſarias, diſtincte ſtitimus explicatas. Nempe fidem a *ſpectatore* tandem deriuandam eſſe, *Ioannes* multis modis innuit. Cum enim Deum nemo hominum *viderit*, alium *autorem* nobis oſtendit, Deo, non nudo ſpectatoris nomine, ſed vinculo multo arctiori, coniunctum; nempe filium in

ſinu

ſinu patris, qui id, quod e rebus diuinis noſſe hominum interſit, nobis expoſuerit a). Sed pro *autoris* nomine, quod in Codice Graeco nemo requirat b), ponitur Synonymum honoris pleniſſimum: DVCIS FIDEI c), cuius omnem ambitum explicare nunc non vacat. Porro idem Ioannes ſuum, ceterorumque Apoſtolorum, munus deducit ex viſu, auditione, et contactu Seruatoris *1 Ioh. I. 1.* Muneris autem ipſius indolem ponit in *annunciatione*, *v. 3.* et *teſtatione*, *v. 2.*

Nec Suffragatoris notionem, paullulum inflexam, Scriptura ignorat: Huius nempe eſt: *relata referre.* Sed Apoſtoli non ſolum ſemel, aut iterata vice, doctrinas a Seruatore acceptas propoſuerunt, ſed, per omnem vitam nihil aliud, quam hoc ipſum egerunt. Inde

a) *Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε· ὁ μονογενὴς υἱὸς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο.* *Io. I. 18.*

b) Eſt enim latinum, quamquam origine Graecum, nempe ex *αὐτὸς* et *ῥέω*, conflatum. Cui deriuationi et rationes Grammaticae, ſigillatim Etymologicae, egregie fatient, et variarum ſignificationum, quae iſti voci adhaerent, inſignis conſenſio.

c) *Ἀφορῶντες εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν.* *Hebr. XII. 2.*

Inde *munus* peculiare enatum: inde ſingulare nomen, et rei ſacrae proprium: MINISTRI VERBI, ὑπηρέτης τοῦ λόγου, *Luc. I.* 2. Eademque ſuffragatoris notio in PRAECONE continetur. Sunt enim Apoſtoli praecones, *1 Tim. II.* 7. non eiusmodi, qui ſaltim vocem ſuam, quod vulgares praecones ſolent, doctrinae commodent, ſed tales, qui ſupremo fidei duci ſunt *a teſtimoniis*, et auditoribus ſuis *pro autore.*

Turbam denique *teſtium*, quae appellatio eſt Philoſophica, pulcerrima Metaphora, NVBEM TESTIVM autor epiſtolae ad Hebraeos Cap. XII. 1. νέφος μαρτύρων, vocare amat.

Quam quidem venerandam notionem, ſacra Pentecoſtalia, antiquo more, panegyri Gvmnaſtica celebraturus, oratione de *fide Chriſtianorum nube teſtium vallata*, paullo copioſius declarabit, Ciuis noſter publicus, doctrina morumque integritate conſpicuus:

IOANNES MARTINVS ESCHER, *Hanouienſis*,

ad quem hodie audiendum, a ſacris Mauritianis, vt Illuſtriſſimus S. R. I. Comes, Splen-

Splendidiſſimi Spectatiſſimique Aulae et vrbis proceres, Gentium nobilitate, ac virtutum decore, conſpicui Ciues, frequentes conueniant, rogamus, iubemus. P. P. *e Tabula Caſimiriana* Fer. I. Pentecoſt. A. R. S. MDCCXLVI.

VI.
VOCATIONIS VNIVERSALIS VINDICIAE DEMONSTRATIONI STAPFERIANAE OPPOSITAE.

ILL. GYMNASII CASIMIRIANI DIRECTOR ADIVNCTVS ET PROFESSORES RELIQVI CASIMIRIANIS SVIS

S. D.

Qui *de Praedeſtinatione* inſcribitur, *Locus Theologicus* longe latius patet, quam vocis, ipſiusque notionis, quae vulgo vocabulo adhaeret, promittit anguſtia. Vox enim

προορισμȢ, ad cuius imitationem Latini Patres PRAEDESTINATIONEM effinxerunt, *ſpeciem* ſaltem voluntatis et decreti indicat, nempe *decretum antiquum*. Cuius notionis vſus, tametſi in rebus humanis non ſit omnino nullus, inprimis tamen, et per eminentiam, conſpicitur in decretis diuinis. *Opera* nimirum diuina, ſuo quodlibet tempore, et in plenitudine temporis, ad exiſtentiam perducuntur: *Voluntas* autem, ea ſuo tempore efficiendi, eſt aeterna, adeoque antiquiſſima. Sed in articulo de Praedeſtinatione, non abſtracta quaedam, et philoſophica, antiqui decreti proponitur *Theoria*, quae breuis futura eſſet, ſed agitur de decretis diuinis, ad ſalutem hominum aeternam pertinentibus: neque de antiquitate ſolum, vel potius aeternitate, eorum decretorum agitur, ſed de omni ſummi Numinis voluntate, ad ſalutem hominum procurandam ſpectante.

Cuius voluntatis partes dum diligentius ex Scriptura ſacra colligimus, facile hanc ſummam totius ſalutaris huius negotii efficimus: quod Deus omnes homines, quamuis lapſos, amauerit; quod eorundem miſertus

ſertus ſit; quod nullum perire voluerit, ſed omnes ad poenitentiam reuocari; quod omnibus Redemtorem conſtituerit; eumque ab omnibus vera fide apprehendi voluerit; quod denique eos, qui a fide non diſceſſuri ſint, ad vitam aeternam conſequendam elegerit. Quae omnia ſic eccleſia noſtra tenet, ac defendit, vt nihil niſi autoritatem ſpectet ſacri Codicis, eiusque perſpicuis verbis vndique ſecura nitatur. Nec vllam fidei huius noſtrae partem reddunt dubiam longae, ac multiplices, diſceptationes, circa ſingulas doctrinae noſtrae partes, ab iis excitatae, qui abſolutum decretum tanto ſtudio defendunt, vt omne id, quod triſtius quid ipſorum dogmati minari videatur, haud minori putent ſtudio impugnandum. Nouimus quidem ab his praecepta ſaepius rationis in ſubſidium vocari, et verbis Scripturae ſacrae, quod nos docemus, vt illi putant, noſtris Scripturae interpretationibus opponi. Verum enim vero, maiori a noſtratibus in honore habetur ratio, colliturque diligentius, quam vt vero, et explicato, rationis praecepto vllam doctrinae reuelatae partem credamus poſſe labefactari. *Praecepta rationis* ſaltem

poſtulamus nobis dari probe explorata, et a vitiis, quibus doctus quoque nonnunquam laborare ſolet rationis vſus, ſubtilioribus quidem, vitiis tamen, repurgata. En! Exemplum.

Vocationem hominum ad ſalutem eſſe vniuerſalem, et ad omnes homines pertinere, e teſtimoniis Scripturae nouimus ſatis manifeſtis; quae nunc repetere ſcriptionis prohibet breuitas. Contraria omnia docent doctores Reformati, contendentes, neque voluiſſe Deum ab aeterno omnes homines vocare, neque eosdem reapſe vnquam vocaſſe: vocationem ad paucos ſaltem pertinere, perinde vt ipſam electionem. Cuius aſſerti ſui fundamentum ſtatuunt *Rationem*: nempe ipſam *experientiam*, qua conſtet, multas gentes reperiri, omni cognitione rerum, ad ſalutem pertinentium, pridem deſtitutas. Hos homines, dicunt, palam non eſſe vocatos, quippe qui vocem diuinam, et promiſſiones, nunquam audiuerint. Atqui non ignoramus, ab eius ſententiae propugnatoribus, probationi ex ratione deductae, teſtimonia quaedam ex Scriptura adiungi, vt quaſi duplici fundamento nitentur.

rentur.

rentur. Quare ne, quae ipſi coniuncta forte voluerunt, inſidioſe diſtrahere videamur, autorem excitabimus, eumque demonſtrandi ſtudioſiſſimum, qui vocationis vniuerſalitatem nullis, niſi *rationis*, armis impugnauit, ſuaeque doctrinae probationem vnice ex ratione, et experientia, deduxit. Eſt autem is *S. Ven. atque Cl. Ioannes Fridericus* STAPFERVS, *V. D. M. Helu. Bernenſis*, qui in *Inſtitutionibus Theologiae Polemicae Vniuerſae, ordine ſcientifico diſpoſitae, Tom. I. 1743. Tiguri edito, §. MCCXCIII. p. 362.* ſic fatur: *Cum hoc beneficio* (auditi nempe, §. 1292. et lecti verbi diuini §. 1291.) *non omnes omnino homines fruantur, vti* EXPERIENTIA *conſtat, cum iam olim ſub Oeconomia Veteri Euangelium pauciſſimis patefactum fuerit, et hodie adhuc, dum multi exiſtant populi, qui illud nunquam audiuerunt: Hinc patet:* VOCATIONEM NON ESSE VNIVERSALEM.

Enthymema his in verbis propoſitum videas, cuius *Maior propoſitio*, quae deeſt, eo diligentius eſt requirenda, quo magis ea nunc in diſceptationem adducetur. Integri nempe Syllogiſmi forma haec erit: *Quicun-*

que non audiuit, nec legit, verbum Dei, ille non eſt vocatus. Multi homines verbum Dei non audiuerunt, Ergo: *multi homines non ſunt vocati.* De ſingulis iam diſpiciamus partibus. *Minoris propoſitionis*, ea quidem formula, quam exhibuimus, comprehenſae, veritas dari poteſt aduerſariis: quamquam illud minime largiamur, quod et antiquiores eccleſiae Reformatae doctores, declarationis cauſſa, addere ſoliti ſunt, et ipſe Stapferus addidit: *multos ſcilicet exiſtere populos, qui verbum diuinum* NVNQVAM *audiuerint.* Quam tamen ipſam ſententiam a noſtris ſaepe, et accurate, confutatam, miſſam nunc facimus: vnice de *Maioris propoſitionis* indole ex inſtituto acturi.

Facilior autem futura vtique eſſet noſtra diſputatio, ſi Cl. Vir Enthymematis breuitate delectatus non fuiſſet, ſed, more methodi demonſtratiuae, explicatius egiſſet, adiectoque potius titulo planum feciſſet, vnde nata ſit iſta propoſitio: *Quicunque verbum Dei nec audiuit, nec legit, ille non eſt vocatus.* Quodſi forte *axiomatis* vim ei ineſſe exiſtimauit, fatemur, nos eam perſpicuitatem, quae axiomatum eſt propria, mini-

minime inibi deprehendere: neque etiam, inſpecta *vocationis* definitione, quam §. MCCLXXXIX tradidit, per vllum genus *conſequentiarum immediatarum*, iſtam propoſitionem inde poſſe deducere. Quodſi tamen nobis licet, de Doctiſſimi Viri recondita ſententia quid ſuſpicemur, effari, propoſitionem iſtam putamus ex generali quadam vocationis Theoria, ad inſtar Corollarii, deductam eſſe. Haud dubie enim, qui Autoris huius more de vocatione diſputat, hanc propoſitionem animo comprehenſam tenet: *Quicunque vocantem non audit, ille non eſt vocatus.* Hinc certe facili negotio efficitur ſyllogiſmus: Atqui: *qui vocem Dei non audiuerunt, vocantem non audiuerunt.* E. *qui vocem diuinam non audiuerunt, non vocati ſunt.* Ita quidem Proſyllogiſmo, eoque ſatis ſpecioſo, fulcitur et amplificatur probatio, cuius primas ſaltem lineas duxit Stapferus. Certe Maiorem propoſitionem defendere neceſſe habet, quisquis negat, eos eſſe vocatos, qui verbum diuinum non audiuerunt.

Nec fortaſſe alii, nullam huius controuerſiae partem ſuam facientes, deerunt, qui-

bus valde videatur veriſimile, *eum*, *qui vocem vocantis non audierit*, *vocatum non eſſe.* Interim haec ſententia, praeterquam quod ex definitione vocationis, iuſtis concluſionibus aucta, *a priori* poſſit confutari, ipſis vulgaribus hominum iudiciis valde repugnat. Intueamur enim, quae vulgo occurrunt, exempla, vbi ingens hominum turba eſt conuocanda, num ibi vocatus is non cenſeatur, qui aut vocationis tabulas non conſpexerit, aut praeconis vocem, quamuis magno ſuo incommodo, non audiuerit? Sic enim in iudiciis, ſi quando concurſus fit creditorum, debitorque ſecandus eſt, iudicis officium poſtulat, vt ante omnia cuncta creditorum turba, ad indicanda debita, propoſito programmate, quod edictales vocant, ſtudioſe conuocetur. Neque dubitandum eſt, iudicem eos impenſius vocare, quorum nominatim nouit rem eo in iudicio agi. Attamen fit, vt nonnulli, vario impedimentorum genere implicati, nihil earum rerum cognoſcant, quae in iudicio geſtae gerendaeque ſunt. Finge iam huiusmodi hominem, abſoluto iam iudicio, neglectum ſe conqueri, vtpote qui vocatus non ſit: num

num huius orationi putas quemquam eſſe aſſenſurum? nonne potius hunc rite, ac diligenter, vocatum eſſe omnes conclamabunt? Finge porro rem, quam, quam ſaepius accidiſſe non dubitamus, nempe patremfamilias, filiae nuptias frequentiſſimas parantem, eam ob rem non ſolum neceſſarios, ſed etiam quocunque amicitiae officiique vinculo coniunctos, vicinos et diſſitos, ad epulas conuocare. Fac autem tabellarium a latronibus intercipi, ſuisque ſarcinulis ſpoliari, ſicque fieri, vt nuptiae celebrentur, ignorantibus multis, quorum id noſſe maxime interfuiſſet. Quis dubitet, hos quoque eſſe vocatos, ad quos literae erant miſſae, tametſi ad eos de nuptiis fama, ac ne quidem ſuſpicio, vlla peruenerit. Plura nullo negotio colligi poſſent exempla vocationis, quae, quamquam nulla ſit ſecuta auditio, omnium tamen conſenſu vocatio vera, riteque facta, cenſeatur.

Nequaquam igitur Ratio, vulgaris certe, praecipit, aut dictitat, vt *a negatione auditionis*

ditionis ad negationem vocationis concludamus. Nec falli hac in parte rationem, et iudicium vulgi, tum clariſſime pateret, ſi philoſophica quaedam, et abſtracta, *vocationis Theoria,* quae condita nondum eſt, conderetur. Et flagitare eiusmodi Theoriam videtur Syſtema philoſophicum, eiusque pars nobiliſſima, quod *Ius naturae* vocatur. Quam enim dicunt PROMVLGATIONEM legis, ea nihil aliud eſt, quam vocationis quaedam ſpecies, nempe *vocatio ad obſequium legis.* Negamus hinc poſſe praecepta de promulgatione ſatis philoſophica tradi, niſi ante de *vocationis* et indole, et impedimentis, in vniuerſum accurate diſputetur. Id tamen ſtatim patet, *doctrinam de promulgatione legum* ſaluam eſſe non poſſe, ſi iſte canon ratus habeatur: Quicunque vocantem non audit, non eſt vocatus. Quis enim eum ad obſequium legis non vocatum eſſe putet, qui eam, quamquam promulgata rite ſit, vel per ſocordiam, vel per alia impedimenta non cognouerit?

rit? Non teneri autem lege, neque vocatus ad obſequium legis, cenſendus eſt, ſi in vniuerſum verum ſit: qui vocantem non audierit, eum vocatum non eſſe.

Ab eo autem, qui iuſtam notionis huius vtiliſſimae Theoriam condendam ſibi ſumeret, multa vtique circumſpicienda, ac prouidenda, forent. Ante omnia quippe foecunda *vocationis* definitio, et ſatis late patens, conſtituenda eſſet. Deinde *ſpecies* erunt conſtituendae *vocandorum*: vt alii ſint *propinqui*, in quibus non ſequi non poteſt auditio; alii *remotiores*, ad quos antequam perueniat vocantis vox, ea intercipi, et, ne ad aures vocatorum perueniat, impediri poſſit. Porro vocationis ea ſpecies ſigillatim erit excutienda, quae dirigitur *ad vnicum*, aut *ad paucos*; potiſſimum autem ea, quae directa eſt *ad ampliſſimam hominum turbam*, aetate, lingua, moribus, gente, ſexu, ſeculis, omni denique ſtatu disiunctorum.

Ex

Ex hoc enim genere eſt vocatio gentium ad ſalutem; in qua, quod facile intelligitur, ea impedimenta *cuncta* emergere poſſunt, quae homines *ſingula*, in conuocanda ingenti multitudine, paſſim experiuntur. Addendum erit, ſi omnino impedimenta praeuideantur, quae tunc vocationis hinc formulae, hinc miniſtri, hinc inſtrumenta ſint adhibenda? vt certe, quam fieri poteſt, plurimi ſummam vocationis exaudiant. Cuiusmodi ſubſidiis rationis, amplis nimirum et copioſis, adde etiam ſolidis, inſtructus, ſi ad doctrinam de vocatione hominum ad ſalutem contemplandam percipiendamque accedat; nae! is circa eius amplitudinem, et vniuerſalitatem, nonſolum non haerebit, ſed eam, vtpote rationi maxime conſentientem, lubentiſſime apprehendet.

Orandum certe eſt, Ciues, vt Spiritus veritatis nos in omnem ducat veritatem: eoque impenſius orandum, quo facilius contingit, vt, noſtro iudicio arbitrioque reli-

relicti, veritatis quadam ſpecie deludamur, ipſamque rationis hebetudinem in acumen vertamus, quo doctrinae reuelatae ambitioſe impugnentur. Quas quidem ratas haberi preces, pignoris inſtar nobis eſt admiranda Spiritus Sancti effuſio, cuius memoriam hoc tempore omni celebramus publica priuataque pietate: antiquam quoque huius feſti laetitiam haud ſegniter imitaturi, niſi quod antiquatum nunc morem, ſiluarum quandam ſpeciem in locis ſacris efficiendi, iam nihil deſideremus. Memoria tamen priſci ritus Ciui noſtro:

CHRISTIANO GVILIELMO ALBERTO VERPOORTENNIO,

Grabouio-Megapolitano,

anſam dedit, *Oratione hodie a ſacris Mauritianis habenda*, *fata nemoris Daphnenſis*, ex Hiſtoria eccleſiaſtica et ciuili collecta, diligenter enarrandi. Ad quem Iuuenem, quem

quem cum nominis ſui tot excellentium virorum meritis illuſtrati, dignitas, tum ſui mores, et maiorum imitatio, commendant, beneuole audiendum, vt Caſimiriani Fautores, cuiusuis dignitatis et ordinis, conueniant, impenſe rogamus: Ciues autem noſtros, ad obeundum iuſti in Commilitonem amoris officium, confluere iubemus. P. P. e Tabula Caſimiriana, Feria I. Pentecoſt. A. R. S. MDCCXLVII.

II. HISTO-

II.

HISTORICA.

Digitized by Google

[illegible] by Google

I.

HAERESES GRAMMATICAE IN ACADEMIA OXONIENSI CIↃCCLXXVI. DAMNATAE.

ILL. GYMNASII CASIMIRIANI DIRECTOR ADIVNCTVS IO. MARTINVS CLADENIVS CIVIBVS SVIS

S.

I.

Quanquam nullum errorem plane innocentem pronuntiare liceat, ſunt tamen quaedam artes, quarum doctrinae, ceu ab actionibus, negotiisque, hominum remotiores, non niſi leuiſſimos errores, et ab omni cri-

mine remotiſſimos, continere poſſe videntur. Vti enim, quid republicae is noceat, non apparet, qui in *cauſſae* notione, aut *ſubſtantiae*, aut *formae*, aut alia Ontologica explicanda, hallucinatur; ita errores huius diſciplinae nec laedere rempublicam, nec criminis quid habere, poſſunt. Neque magis ad *publicas* imperantium *curas* pertinere quis putet *Grammaticam;* quod ea iungendarum vocum praecepta tradens, ſi cui nocet, praeter aures delicatorum hominum offendat neminem. Dubito num *Critica*, pulchritudinis poëticae, et eloquentiae, cuſtos, eodem gaudeat innocentiae priuilegio? Hanc enim, bellorum cum ſit feraciſſima, palam reipublicae metuendam noſſemus, niſi bellorum Criticorum *nomen* atrocius eſſet, quam *periculum.* Seuerioris tamen olim exſtiterunt ingenii homines, qui nullum errorum genus leue putarunt, aut damno vacuum, ipſamque Ontologiae, et Grammaticae, puritatem poenis vindicare non dubitarunt. Et eſt, quod miremur eos, qui quotidie *haereſeos* nomine abuſi ſunt, religioni ſibi duxiſſe, doctrinas, adſcripto *haereſeos* nomine, infamare, quibus re ipſa, dum puniendas cenſuerunt, altiſſi-

tiſſime haereſeos notam inuſſerunt. Rarius quidem in iudicium adductos Grammaticos, et reos factos, legimus: eo autem magis accuſationis tam inſolitae capita, cauſſasque damnationis, reſciſcere antiquarum rerum curioſos iuuat. Relatum nempe legimus, in Academia Oxonienſi, anno ſupra milleſimum ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, autoritate Archiepiſcopi Cantuarienſis, ſuffragantibus cunctis Academiae doctoribus, errores quosdam Grammaticos, Logicos, atque Phyſicos, poena eſſe propoſita proſcriptos. Ex quibus priores ſaltem excitabimus, quos, vna cum damnationis formula, excitat *Carolus du Pleſſis d'* ARGENTRE' in *Collectione iudiciorum de nouis erroribus: p. 185.*

* * *

Hi ſunt errores condemnati in Grammatica a Fratre ROBERTO DE KILVARDBI, *Archiepiſcopo Cantuarienſi: de conſenſu omnium Magiſtrorum, tam non Regentium, quam Regentium, apud Oxoniam, die Iouis proxima ante feſtum S. Cuthberti, in Quadrageſima, anno Domini 1276.*

I.

EGO CVRRIS, TV CVRRIT; CVRRIT et CVRRO; *aeque ſunt perfectae, et congruae, orationes*: ſimiliter: CVRRENS EST EGO.

II.

Item: SOCRATIS LEGERE: SOCRATI LEGERE: ſicut: *Socratem legere.*

III.

Item: *quod Verbum, manens Verbum, poteſt priuari omnibus accidentibus ſuis.*

IV.

Quod *nullum Nomen eſt tertiae perſonae.*

Interpoſitis deinde *erroribus Logicis*, et *Phyſicis*, ſententia fertur:

Qui ſuſtinet, docet, et defendit, ex intentione propria, aliquid iſtorum praedictorum; ſi ſit Magiſter, ab officio Magiſtri deponatur, a communi conſilio; ſi ſit Bacalarius: non promoueatur ad Magiſterium, ſed ab Vniuerſitate expellatur.

* * *

II. Omiſ-

II. Omiſſis *variis lectionibus* *, quas *Argentraeus* e variis partim impreſſis codicibus, partim e MSS. Sarbonae, collegit, quandoquidem nihil ſententiam, et vim, decreti mutant, ipſos errores inſpiciamus: quos cognoſcere facilius poterimus, ſi perſonam iudicis habeamus cognitam. Is quidem, Anglicanae hiſtoriae non poſtrema pars, a *Guilelmo* CAVEO in *Hiſtoria literaria ſcriptorum Eccleſiaſticorum* ſic deſcribitur: ROBERTVS KILWARBIVS, *natione Anglus, poſtquam Oxonii ſtudiis incubuerat, in Academiam Pariſienſem ſe recepit, ibique gradum Magiſterii in Artibus conſecutus eſt. Domum rediens S. Franciſci ſodalitio ſe fratrem dedit: ordinis ſui paulo poſt Prouincialis factus. Anno MCCLXXII., a Gregorio X. in Archiepiſcopum Cantuarienſem promouetur; quem, vt iura ſua tueri viderentur, Monachi Cantuarienſes, etſi Guilielmum Chillindem Subpriorem ſuum nuper ele-*

 gerant,

* Iuuabit tamen commemorare, in MSt. Sarbonae 395. legi: *ego curris:* in MSt. vero Sarbonae 591. et in edit. *ego currit.* Nobis nonſolum prior lectio placet: ſedet in ſequenti commate pro *currit*, eſſe legendum, *curris*, putamus; vt ſenſus hic ſit: *Ego curris, tu currit*, ſunt aeque congruae orationes, atque: *ego curro*, et *tu curris.*

gerant, ſuffragiis ſuis legitime electum eſſe declararunt: ac proinde Febr. XXVI. conſecratus eſt. Anno ſequenti Thoma Cantelupo, in Veſperis Comitiorum Oxonienſium, gradum ſuſcipiente, diſputationis Praeſidem, et Moderatorem, agere, Archiepiſcopus licet, non dedignabatur. Anno MCCLXXVII. a Nicolao III. Romam accerſitus, Epiſcopus Portuenſis, et S. Ruffinae Cardinalis, renunciatur: quo tempore Archiepiſcopatu ſe abdicauit, et, Viterbum ſecedens, non ſine ſuſpicione veneni, obiit III. Id. Septembr. Anno MCCLXXX. Quas inter vitae Chiluarbianae rationes id inprimis annotandum puto, quod, Archiepiſcopus cum eſſet, et ad Comitia Academiae Oxonienſis accederet cum imperio, moderatorem tamen diſputationis, et argumentorum telis ſe petendum inferioribus obtulerit: vnde intelligi poteſt, eum non ſolum doctrinarum, quas Cathedra poſcit Academica, fuiſſe peritiſſimum, ſed et ſubtilioris ingenii vi, quae ſophiſmata non pertimeſcit, non caruiſſe. Hinc vero magna oritur ſuſpicio, Chiluarbium in diiudicandis nouorum Grammaticorum ſententiis, non aurium ſolum iudicium eſſe ſecutum, ſed vim quaeſtionum,

et pondus, probe exploraſſe. Quam coniecturam augent eius, inter multa alia, ſcripta: de *diuiſione ſcientiarum: de natura relationis: in Donatum de vitioſis ſermonibus:* quae in Bibliothecis praeſtantiſſimis Anglicanis condita, et a *Caueo* excitata, doctrinam Grammaticam haud dubie redolent. *Iudicem* itaque *competentem* facile quisque Chiluarbium agnoſcat, in quo non minor, per dignitatem, poteſtas cenſoria, quam, ob doctrinam, iudicandi inerat prudentia.

III. Errores ſi iam ipſos acrius intueamur, patet tertium, qui *verbum, manens verbum, poſſe priuari omnibus accidentibus ſuis*, docet; quartumque, qui *nullum nomen eſſe tertiae perſonae* contendit, obſcuritate magis ſua, quam vlla *Paradoxi* ſpecie, animum offendere. Illud vero *ego currit, tu currit*, quas lex *prima* damnat; nec non damnatae ſecunda lege formulae: *Socratis legere: Socrati legere*, quamuis obſcuritate non carent, magis tamen ipſo ſono aures, a Priſciano vel mediocriter eruditas, miſere vellicant, grauiſſimeque mordent.

IV. Nec tamen ad cognoſcendas iudicii, et propoſitarum poenarum cauſſas, aures ſatis valere, ſed ipſam potius errorum vim

ratione inſpiciendam, putamus. Sunt autem quidam errores per ſe abſurdi; aliis ex conſequentiis, inuidia denique aliis ex principiis, conflatur. Prioris eſſe generis viderentur propoſitiones: *congruae orationes ſunt: ego curris, tu currit: Socratis legere, Socrati legere:* ſi modo credibile eſſet, aut in tantam Angliae doctores recti ſermonis ignorantiam incidere potuiſſe, vt ipſa Grammaticae elementa poenis eſſent retinenda: aut tam peruerſo quemquam exſtitiſſe ingenio, vt, reclamante omni librorum latinorum vſu, tam inconditas voces, quaſi latinas, venditare auſus ſit. Earum vero rerum cum neutra, vt credi poſſit, ſatis apta ſit, altius palam eſt in ſenſum propoſitionum, et condemnationis cauſſas, eſſe inquirendum. Id quod inde plus difficultatis habet, quod *concluſiones*, aeque ac *principia*, errorum a Chiluarbio proſcriptorum latent, nec vllum, niſi ipſorum diligens comparatio, ad ſingulos intelligendos, nobis porrigatur ſubſidium.

V. Sed quia *cauſſa*, quam legimus iudicatam, eſt Grammatica, *propoſitiones* autem damnatae Latinis conceptae ſunt verbis, id inprimis putamus quaerendum, vtrum priores

res duo errores ad *Grammaticam Latinam*, an vero ad vniuerſam linguarum rationem, ſeu ad *Grammaticam* pertineant *Philoſophicam?* Non enim, quia propoſitiones Latinis leguntur propoſitae verbis, ideo *phraſes latinas* damnari manifeſtum eſt; ſiquidem omnes tunc temporis cauſſae publicae, Eccleſiaſticae pariter, atque Academicae, Romano ſolebant ſtilo proponi atque diſputari. Grammaticae autem *vniuerſalis* potius, quam *Latinae*, partem aliquam corruptam a nonnullis, et a Chiluarbio vindicatam, eſſe, grauis inde naſcitur ſuſpicandi cauſſa, quod id non ſolum ſuſpicari per damnatarum phraſium formulas licet, ſed ex collatis etiam inter ſe quatuor erroribus tantum non certa ratione patet.

VI. Id nempe vitii, quo iſtae nullum non offendunt lectorem phraſes, in eo eſt poſitum, quod a regula coniungendi hinc *pronomina cum verbis*, hinc *cum nominibus verba*, penitus recedant. Cum enim notiſſimum ſit, Pronomen, *ego*, primam Verbi perſonam, *tu* vero, ſecundam, non autem tertiam, poſtulare: obſcuri contra iſti haereſiarchae hinc cum voce *ego* ſecundam,
hinc

hinc cum pronomine *tu* tertiam, recte perſonam coniungi docuerunt. Porro cum Verbum quodlibet in Latina perinde, atque in caeteris linguis, adiunctum ſibi habeat certum ſubſtantiui caſum, non autem promiſcue admittat omnes: iidem linguae corruptores quemlibet cuique verbo caſum commode iungi, exemplis certe phraſium: *Socratis legere*, *Socrati legere*, docuerunt. Quaeritur igitur, num phraſes illae ſaltem ſint *exempla* proſcriptarum regularum Grammaticarum, quibus innumera potuiſſent adiungi ſimilia? an vero nullae aliae phraſes ſimiles, aut in iudicium adductae ſint, aut condemnatae? Mihi prior omnino arridet ſuſpicio, quae phraſes iſtas *pro exemplis* habet, et, per haec exempla, *vniuerſalem* regulam, quae infinita comprehendat exempla illorum ſimilia, cenſet eſſe proſcriptam. Cuius rei duas animaduerto probationes e re ipſa mihi oblatas.

VII. Quod ſi enim 1. illae ſolae nocentes viſae eſſent formulae, nec ad plures erroris contagio pertineret, nullam mihi cogitando fingere datur rationem, quae inducere ſana praeditum mente hominem potuerit, vt in his paucis ſolum aut peccarit tam turpiter, aut

aut luſerit, phraſibus. Contra certiſſimum habeo, ſi quid *ſingulare* diſputatur, aut defenditur, ſemper id per regulam fieri aliquam latius patentem, ex qua ſingulares quaeſtiones, et doctrinae, fluunt: nec minus eos conſtat, qui errorem ſingularem impugnant, ab *hypotheſi* mox ad *theſin*, et a re ſingulari ad regulam vniuerſalem, aſſurgere ſolere, hancque erroris patrono, tanquam ſuam, tribuere, et vna cum errore ſingulari damnare. Quare nihil dubito eos, qui *Socratis legere*, recte dici contenderunt, idem in caeteris Latinae linguae, quin et aliarum linguarum, verbis impudenter auſos eſſe, et, ſi quis id fecerit, tamquam recte factum probaſſe; Chiluarbium autem in paucis, ſed illuſtribus, exemplis regulam quandam latiſſime patentem damnaſſe, et proſcripſiſſe.

VIII. Quae omnino fiunt firmiora, ſi a. aliunde conſtet, *Grammaticae* vniuerſalis, ſeu *Philoſophicae*, ſtudium, eo tempore, quanquam minime commodo, nec vllis ad eam rem recte gerendam ſubſidiis inſtructo, inprimis floruiſſe. Id vero aperte docent iſtius aetatis libri, quicquid ad diſputandum difficillimum, et a facilitate explicandi remotiſſimum, eſſet, id inprimis eo tempore Philo-

Philoſophos, atque Theologos, tractandum, quaſi ſuum, ſibi ſumſiſſe negotium. Hi igitur homines tam impenſo ſtudio materiem diſputationum quaerentes, quomodo ab arcanis *Grammaticae* ſibi temperaſſent? quae, ſi vlla, quam Philoſophicam nominamus, ſcientia, non niſi ſubtiliſſimis adhibitis doctrinis Ontologicis, et Pſychologicis, perſpicua poteſt ratione exponi. Sed ſi documenta quis magis, quam ſuſpiciones deſideret, is *tertiam* et *quartam* inſpiciat ab Oxonienſibus notatam propoſitionem: *Verbum manens verbum poteſt priuari omnibus accidentibus: Nullum nomen eſt tertiae perſonae.* Hae enim propoſitiones cum ſint aperte Grammaticae, nec aut ad Latinam tamen, aut aliam quamcunque, ſigillatim pertinent linguam, ſed ad omnes in vniuerſum, adeoque Grammaticae partem efficiunt Philoſophicae.

IX. Magno autem accidit noſtro incommodo, vt priores duo errores in exemplis, omiſſa regula; duo poſteriores, regulae habitu, et forma, omiſſis exemplis ſint propoſiti; cum ibi exemplis regulae, hic regulis exempla, rectius fuiſſent adiuncta. Nam nec ab exemplis, praeſertim paucis, eundem

eundem omnes *locum communem*, ſiue *regulam* eandem, quia plures formare licet, formamus, nec multas reperias regulas Philoſophicas, quae, niſi *exemplis* illuſtrentur, ſuisque e principiis deductae conſpiciantur, ſatis certum apud plerosque lectores excitare poſſint ſenſum. Incidi tamen in eam ſententiam, non abhorrere ab eius aetatis hominibus, ordinis naturalis non magnopere ſtudioſis, ſi Hyſteronproteron quoddam in enarrandis his commiſſum exiſtimemus erroribus, duosque poſteriores pro *regulis*, priores ambo pro *exemplis*, et *Corollariis* inde deductis, habeamus. Neque etiam eorum hominum, qui certaminis Grammatici, quod, hac ſententia in reos lata, compoſitum legimus, ſpectatores, et pars, fuerunt, magnopere interfuit, quo ordine dogmata, ſibi optime, quotidianis haud dubie conflictationibus, cognita, ad cauendum legerent propoſita: nobis autem extra teli non ſolum iactum, ſed remotiſſimo quoque, et extremo, loco poſitis, vna cum ordine doctrinarum, ipſum lumen, quo ablato nihil cernitur, ademtum eſt. Id vero reſtituetur fortaſſe, ſi poſteriores duos errores priori loco ponamus, aut tertio errori

rori primum, quarto ſecundum, tanquam exemplum, et Corollarium adiungamus.

X. Fingo iam animo Scholaſticum quendam, Paradoxi quid, et monſtri, de vocum indole, inprimis *Verborum*, ſic molientem. Videt quodlibet VERBVM, ceu ſignum actionis cuiusdam, vel paſſionis, per diuerſas *temporum*, *modorum*, ac *perſonarum* ſpecies varie inflecti, et, vt nunc loqui ſolent, modificari. Ipſe quidem quamlibet *perſonam*, *modos* ſingulos, vnum quodque *tempus*, verbi notioni adglutinatum, vocat *accidens* verbi: et, quia nullum exiſtit verbum, niſi perſonae cuiusdam, aut temporis, aut modi, aut certe actiuae, paſſiuaeque, Vocis charactere notatum, negari non poſſe videt, *verba* ſingula, quae in linguis vſſitatis reperiuntur, accidentibus eſſe veſtita. Attamen ille forte recordatur, ſubſtantias, etſi ſuſtineant accidentia, ab accidentibus tamen cogitatione diſtingui; et manere ſubſtantias, remotis licet, cogitatione nempe, omnibus accidentibus. Id igitur ad *verborum* naturam, inuita Minerua, transfert, et manere, h. e. cogitari, et dari, poſſe putat verbum, etſi nullam aut temporis, aut modi, aut perſonae,

nae, aliamue fingatur adiunctam habere notam, ſiue *verbum manere verbum, etſi remotis omnibus accidentibus.*

XI. Hoc dogmate, tanquam nouo armorum genere, quo in arena decertet diſputatoria, inſtructus, antiquas Grammaticorum regulas, antiquiſſimo omnium ſeculorum vſu confirmatas, aggredi, et conuellere, non dubitat; arduumque ſuſcipit negotium, a *priori*, eque dogmatibus ſuis Metaphyſicis iuſtam verborum copulationem, et conſtructionem, definiendi. Irruit igitur in verba forte ſibi oblata: *ego curro, tu curris*: cenſetque his aeque commodas formulas poſſe adiungi, *ego curro, tu currit.* Ne vero ſine ratione delirare videatur, rem ita demonſtrat. Nihil opus eſſe, inquit, ad id, quod *ego curris* ſignificat, rite indicandum, praeterquam ſignum *verbi* praeſentis, et ſignum primae perſonae. Iam vero pronomen *ego* luculentum eſſe primae perſonae ſignum: in vtraque autem voce *curris*, et *curro*, aeque praeſentis temporis notam contineri; indeque nihil intereſſe, vtrum *ego curro*, an *ego curris* dicas: eundemque in modum oſtendit, *tu curris*, et *tu currit*, aeque ſignificandae notioni,

 quam

quam prior locutio exponit, eſſe idonea. Quae eadem denique ratio valet ad illam infauſtam vocum copulam, *currens eſt ego*, in arena diſputatoria, ſine pudore defendendam.

XII. Nimium forte nonnullis videbimur indulgere antiquitatis ſtudio, qui verum propoſitionum remotiſſimarum ab omni ſpecie veritatis ſenſum eruere, aut probabili ſaltem quadam coniectura aſſequi poſſe nobis videmur. Quid? quod hoc interpretationis genus, quod in doctrinis *palam falſis* exponendis verſatur, vix vnquam caret inuidia. Si enim, quod plerisque harum rerum interpretibus eſt in more poſitum, ſententias falſas, interpretationis loco, propoſitionum magis abſurdarum comitatu, iure propoſitionum aequipollentium, augeas; ſi porro ex principiis abſurdis eas deducas, et, adiectis inuiſis concluſionibus, teterrimas efficias, probabis quidem iſtos tuos commentarios haud paucis, iis nempe omnibus, qui in errantibus non dari putant peccandi locum: ſed hoc ipſo et aequitatis offendes ſtudioſos, et regulas violabis interpretandi, et eandem in te exercendi doctam crudelitatem aliis ius, tuo exem-

exemplo, dabis. Contra vero ſi id agas, quod et ſana ratio, et *contradictionis* non ſcripta, ſed nata, lex poſtulat, vt veritatis in errore latentem ſpeciem, quae errantem decepit, in apricum producas, eoque aduerſarium tuum non inſaniiſſe doceas; parum aberit, quin ipſe errori fauere, certe nimis exercere familiariter inimicitias cum errore multis videaris. Vti enim in iudiciis non ferunt, vt is, qui cauſſae ſuſcepit cuiusdam patrocinium, aduerſam etiam defendat partem, et inimica vtique ſuſtineat officia, ſed eum, qui ingenii ſui vbertate contrarias cauſſas in vno ſe poſſe iudicio defendere putat, praeuaricationis crimine damnant; ita in doctrinis, qui non totus errori inimicus eſt, cauſſam veritatis a plerisque prodere iudicatur. A qua tamen nos ſuſpicione facile omnes liberabunt, qui cogitent, errores, quos, quomodo in mentem venire ſano homini potuerint, explicandos ſuſcepimus, nihil omnino continere, quod noſtrae poſſit aetatis hominem allicere, aut in erroris ſocietatem protrahere. Iſta aetate haec talia iuuabant alacriora ingenia, qua laudi ducebatur, quiduis poſſe defendere, et, ſi non idoneis rationibus, impudenti

Digitized by Google

certe, et aridiſſima, loquacitate in arena diſputatoria aduerſus perſonatum hoſtem tutari.

XIII. Nolumus tamen lectorum in accipiendis noſtris, circa ſecundum, et quartum, errorem, coniecturis amplius experiri, aut potius ſollicitare, patientiam. Id certiſſimum eſt, vocibus: *Socratis legere*, vel *Socrati legere*, itidem legem Grammaticam, forte iſtam, quae accuſatiuum cum infinitiuo coniungi vult, impugnari atque euerti. Cuius commenti ratio cum, e longinquo veluti, in errore quarto appareat, non niſi multo ſubtiliori tamen diſputatione, vt paulo clarius conſpiciatur, protrahi in lucem poteſt. Et eſt quidem omnium Grammaticarum notionum ea indoles, vt non niſi multa arte ad rationes, et Principia Philoſophica, referantur; id quod is experietur ſatis, qui in definiendis partibus orationis, quas octo numerant, ſuum velit exercere ingenium: ſed multo plus laboris ſuſcipit, qui *perſonarum* diſcrimen Philoſophica quadam cupiat ratione explicare. Qua in re ii, qui eam adgreſſi ſunt, ita a ſe inuicem diſſentiunt, vt plerique *perſonarum* ſigna, totamque naturam, in ſolis

collo-

collocent Verbis, caeteri vero Nominibus inhaerere exiſtiment: verbaque *perſonis nominum* ſolum accommodari. Iſto certe Sanctius a Perizonio ſententiarum diſſidet diuortio. Quorum doctiſſimorum, liteasque elegantiores penitus callentium, virorum ſententias ſi vix quisquam ita diſputando illuſtrabit, vt, quid veri alterutri inſit, multis perſpicue pateat; nonne deſperandum prope eſt, ita lucide quenquam poſſe diſſerere, vt obſcurae tenebrionum, quos damnauit Chiluarbius, ſententiae ſplendeſcant quodammodo, et, vti Paradoxa Stoicorum Tulliana lingua, fiant probabiles?

XIV. Quanto hi egiſſent prudentius, ſi linguarum iam dudum conſtitutarum naturam, et leges, non ingenio, arbitrioue, finxiſſent, nec *a priori*, vano tentamine, formaſſent, ſed vſu, et expetientia, cognitas recte ad declaranda adhibuiſſent animi cogitata. Quod enim in omnibus valet artibus, vt *experientiae* ſint principia totius artis; quae doctrinae, et ingenii ſubtilitate, non laceranda, ſed dilatanda, et perpolienda, ſunt; ita in linguis inſunt ſingulis *axiomata* quaedam longo vſu confirmata, quae

euertere ſine recti ſenſus offenſione nulla ratione licet. Ad iſtas autem immotas Grammaticae veritates pertinent inprimis *Verba* per *Modos*, *Tempora*, et *Perſonas* flectendi, eaque cum aliis vocibus connectendi, leges: quae, qualescunque vſus conſtituit, tales retinendae, et, ſi quid emendationis patiuntur, leniſſima ratione corrigendae ſunt, nedum Sophiſmatibus corrumpendae.

XV. Digniſſima hinc laude cenſenda eorum eſt diligentia, qui Latinum ſermonem, quo eruditorum vix carere ciuitatem poſſe vident, quam fieri poteſt puriſſimum, terſiſſimumque habere cupiunt. Hac enim demum ratione iſta non viuentium, ſed mortuorum, hominum lingua erudito orbi, ſpargendisque celeriter ad omnes gentes, quibus literae curae ſunt, doctrinis, vtilitatem praeſtat, ſi immutata retineatur, nec, quod olim contigit, in inconditam nouarum vocum commutetur colluuiem, quae vel a Romae nato, ſi ad lucis hic ab inferis rediret vſum, minime gentium intelligeretur.

XVI. Floreat igitur in ſcholis noſtris, vna cum aliarum artium cultura, Graecae linguae,

linguae, quantum ad intelligendos auctores ſatis eſt, Latinae autem ſtudium tantum, quanto ad commercia eruditorum, ex omnibus gentibus, inter ſe alenda, et doctrinas poſteritati tradendas, opus eſſe arbitramur. Cuius quidem doctrinae laude cum noſtrum nullo non tempore floruerit conſtanter Caſimirianum, eam omni retinendam ſtudio putant eius ſtatores, et ſplendidiſſimi Praeſides. Commoti igitur iactura, quam exeunte anno ſuperiori Gymnaſium noſtrum ſenſit, ex morte clariſſimi, deque noſtris rebus optime meriti Viri, IOANNIS CHRISTOPHORI SCHVBARTI, *Eloquentiae, et Graecae linguae, Profeſſoris* doctrina, induſtria, omnique virtutum genere conſpicui, nihil non explorarunt, vt virum multa doctrina refertum vacuae admouerent cathedrae. Neque prudentiſſima conſilia deſtituit euentus: ſiquidem Iuſſu Sereniſſimorum Principum ac *Dominorum*

DOMINI
CHRISTIANI ERNESTI,
ET
DOMINI
FRANCISCI IOSIAE,

Ducum Saxoniae, *Iuliae*, *Cliuiae*, *Montium*, *reliqua*, Patrum Patriae clementiſſimorum, ex Academia Fridericiana *Praenobiliſſimum*, *Clariſſimumque Virum*, *Dominum*

CHRISTOPHORVM IOSEPHVM SVCRO,

Philoſophiae et Liberalium artium Magiſtrum meritiſſimum, euocarunt, vt *Graecae ac Latinae linguae docendae prouinciam*, *omnisque humanioris Literaturae curam*, *ſuſciperet*, *ac ſuſtineret*. Re iam ex voto confecta mihi demandatum eſt a Magnificis, Splendidiſſimisque Gymnaſii noſtri Praefectis, vt *futuro die Mercurii h. e. Pridie Calend. Iulii* nouo doctori cathedrae noſtrae copiam publice more maiorum faciam. Morem igitur prouidae Scholarcharum voluntati gerens, dicto die, praemiſſa Oratione *de Notis variorum in Autores claſſicos recte aeſtimandis*, Vota pro PRINCIPVM NOSTRORVM CLEMENTISSIMORVM, quorum patrium in ſuos ſubditos animum nullius unquam aetatis Princeps ſuperabit, exoptatiſſima incolumitate ſuſcipiam: quo, eoque omni quod ad inaugurationem noui doctoris pertinet, peracto, ille ipſe cathedram conſcendens, *Oratione* de *felici lite-*

rarum

varum Graecarum et *verae eloquentiae connubio* munus ſuum rite auſpicabitur. Ea autem ſolennia, vt nullo, quem habere poſſunt, ſplendore careant, non ſemel nobis praeſtitae Clementiae memor SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI, DOMINI FRANCISCI IOSIAE, gratioſiſſimam praeſentiam, SERENISSIMORVMQVE PRINCIPVM IVVENTVTIS, demiſſiſſime exopto, indeque id, inter alia, commodi me conſecuturum ſpero, vt magnus *Procerum aulae, Maecenatumque Gymnaſii* noſtri, numerus, ſic illuſtrata ſolennia, minime negligat, ſed, vna cum *cuiusque ordinis Patronis et Fautoribus Gymnaſii*, oratorum ſtudia accendat. Vos vero, Ciues, vt doctori Vobis feliciter dato frequentiſſimo concurſu primum Veſtri obſequii, pietatisque, documentum praeſtetis, non tam admonendos, quam verbo conuocandos, cenſeo. *P. P. V. Cal. Iul. ſiue Domin. II. poſt Trinit.* CIↃ IↃCCXLV.

II.

VOTVM EPIPHANII: DOMINE! PRAESTA IOANNI, VT RECTE CREDAT.

ILL. GYMNASII CASIMIRIANI
DIRECTOR ADIVNCTVS
ET PROFESSORES RELIQVI
CIVIBVS SVIS
S. D.

Simultates EPIPHANIVM inter atque IOANNEM *Hieroſolymitanum* olim agitatas nullus ferme eſt Hiſtoriae Eccleſiaſticae ſcriptor tam adſtrictus, quin attingat, vetuſtatisque cognoſcendae cupidis cenſeat memorandas. Exarſerat nimirum odio Ioannis animus, non vna iniuria, quam paſſus ſibi ab Epiphanio videbatur, ſtimulatus. Pungebat, quod Praeſul Salaminienſis, violato iure dioeceſano, in aliena prouincia, Hieronymi fratrem, non longe

ab

ab vrbe Hieroſolyma, presbyterum ordinauerat: quod Ioannem, ob Origenis placita acrius defenſa, haereſeos poſtulauerat; tam aperte quidem et diligenter, vt, inter ipſas preces euchariſticas, votum, non ſine contemtus ſuſpicione, proferre ſoleret: *Domine! praeſta Ioanni, vt recte credat.* Epiphanius contra, amicitiae ſarciendae cauſſa, epiſtolam ad Ioannem dat, in qua ſic cum aduerſario diſputat, vt ordinationis importunae cauſſas exponat, pioque animo factae veniam petat; verba porro iſta, quibus ſe inprimis laeſum Ioannes arbitrabatur, omnino a ſe prolata neget; ab Origenis denique partibus eundem retrahere ſtudeat.

Opportune accidit, vt iſte Epiphanii libellus, ab HIERONYMO e Graeco Latine redditus, inter ampliſſima huius Patris opera, et *Epiſtolis* eius permixtus, ab interitu ſit vindicatus. Fato enim quodam et ſcriptus, et ſeruatus, videtur, tanquam locuples quidam penus, abundans rebus ad antiquum Eccleſiae ſtatum pertinentibus, nec aliunde magis perſpicue cognoſcendis. *Prima* enim eius pars, in *Pauliniano*, illuſtre ſiſtit exemplum hominis ad ſacerdotium ſuſcipiendum vi rapti. Is enim, iuſſu Epiphanii,

phanii, *per multos Diaconos apprehenſus, et obſtructo ore, (ne forte liberari ſe cupiens adiuraret Epiſcopum per nomen Chriſti) Diaconus*, et paulo poſt, non minori vi, ſcilicet *tento ore eius, presbyter ordinatus eſt. Altera* pars de duobus nos admonet ritibus euchariſticis: quod partim preces euchariſticae tunc nondum certa formula comprehenſae, ſed libera oratione, ac forte extemporaneae, fundi ſueuerint: partim quod nondum clandeſtinis et tacitis, ſed clara voce expreſſis, vt exaudiri potuerint, precibus, myſterium ſacrae coenae inſtauratum ſit. Si enim tacitas fudiſſet preces Epiphanius, nihil id ad laedendam Ioannis dignitatem pertinuiſſet, quacunque demum eſſet formula precandi vſus. *Tertia* pars ſummam doctrinarum complectitur, quas, ab Origene traditas, damnandas cenſuit cum ſociis THEOPHILVS *Antiochenus. Quarta* et extrema pars imaginum cultoribus inimica, ideoque a BARONIO obelo notata, a DVPINIO aliisque vindicata, primum iconoclaſten nobis monſtrat, Epiphanium; qui, cum Anablathae in Palaeſtina videret in templo velum, imagine Seruatoris, vel Sancti alicuius, pictum, ſcidit illud, et obuol-

obuoluendo mortuo adhiberi iuſſit. Vnde et rarum tunc, nec omnibus probatum, fuiſſe imaginum vſum cognoſcimus.

Sed, miſſa epiſtolae commendatione, ex Epiphanio, eius autore, nunc quaeramus: verane ad Ioannem perlata ſit fama, quod ipſe inter preces euchariſticas Fidem Ioannis, rectiorem precando, ſuggillauerit? Non enim ſine cauſſa quaerendus videtur: ideo quod ſunt, qui ab Epiphanio id, quod fama de ipſo tulit, vere factum cenſeant. Ipſe quidem aperte negat, verbiſque vtitur in apologia minime ambiguis. *Illud quoque audiens*, inquit, *admiratus ſum, quod quidam, qui ſolent vltro citroque portare rumuſculos, et iis, quae audierunt, ſemper addere, vt triſtitias, et rixas, inter fratres concitent, Te turbauerunt, et dixerunt, quod in oratione, quando offerimus ſacrificia Deo, ſoleamus pro Te dicere:* DOMINE, PRAESTA IOANNI, VT RECTE CREDAT. *Noli nos in tantum putare ruſticos, vt hoc tam aperte dicere potuerimus. Quamquam enim hoc in corde meo ſemper orem, tamen, vt ſimpliciter fatear, nunquam in alienas aures protuli, ne Te viderer parui pendere, Dilectiſſime! Quando autem complemus orationem,*

nem, ſecundum ritum myſteriorum, et pro omnibus, et pro Te quoque, dicimus: cuſtodi illum, qui praedicat veritatem: vel certe ita: Tu praeſta, Domine, et cuſtodi, vt ille praedicet verbum veritatis: ſicut occaſio ſermonis ſe tulerit, et habuerit oratio conſequentiam. Quapropter obſecro Te, dilectiſſime, et aduolutus pedibus Tuis precor, praeſta mihi et Tibi, vt ſalueris, ſicuti ſcriptum eſt, a generatione peruerſa, et recede ab haereſi Origenis, et a cunctis haereſibus, Dilectiſſime! Simpliciter itaque profitetur Epiphanius, ea verba nunquam, aliis audientibus, a ſe eſſe prolata. In qua viri tanti autoritate quid ſuſpectum, aut infirmum, eſſe queat, vix apparet. Narrat enim rem ab ipſo geſtam, quam, num omnino, aut quomodo, acciderit, ignorare non potuit. Quid quod ne de antiquo quidem negotio agit, quod obliuioni forte poterat eſſe traditum, ſed de aeſtu ſatis nouo atque recenti. Idem cum tam aperte, in hac ipſa epiſtola, cum Ioanne loquatur, eumque haereſeos multiplicis, nulla circuitione vſus, accuſet, vt beneuolentiae captandae cauſſa quicquam confinxerit, nullo modo ſuſpicari licet. Atqui hae ſunt duae iſtae virtutes,

tes, quae teſti pariter atque autori, et vtriusque dictis, fidem, ſi in dubium vocata ſit, faciunt, ac reddunt: ſi nempe conſtet, teſtem, autoremue, rei geſtae verum dicere *potuiſſe*, et fateri *voluiſſe*.

Nec tamen Epiphanii confeſſio ita veritatis indiciis vndique munita eſſe videtur, quin aliquid dubitationis ſagacioribus relinquat; cum inuentus ſit, qui Epiphanium, quam ſibi excidiſſe negat, precandi formulam, frequenter in ore habuiſſe affirmet. Eſt is GVILIELMVS CAVEVS, cuius in *Hiſtoria literaria ſcriptorum Eccleſiaſticorum*, praeter ceteras huius rixae partes diligenter enarratas, *in vita* IOANNIS *Hieroſolymitani*, haec verba habentur: *de initiis*, inquit, *litis illum inter et Epiphanium ſuſcitatae ſupra dictum eſt in Epiphanio; quae eo vsque demum euaſit, vt Epiphanium habitae cum Ioanne communionis poeniteret, cumque Deo ſacra faceret, dicere ſolebat: Domine! praeſta Ioanni, vt recte credat.* Qua narratione nihil dici poteſt Epiphanii autoritati magis infeſtum. Neque putandum eſt, Caueum aliis forte autoritatibus niti, quas cum Epiphanii confeſſione commiſerit. Nullum excitat pro teſtimonio librum,

prae-

praeter illam ipſam epiſtolam, quae contraria omnia docet. Quare aut imprudenti Caueo, alioquin doctiſſimo, et omnis hiſtoriae et antiquitatis eccleſiaſticae peritiſſimo, haec narratio elapſa eſt, aut, quod magis in tanti viri perſonam conuenire videtur, docte ſpreuit Epiphanii autoritatem; rationibusque permotus haud ineptis, Ioanni potius ac famae, quam Epiphanio, teſti nimirum in propria cauſſa, fidem habuit; fortaſſis etiam, cum recte Epiphanium aliqua ex parte accuſatum ſentiret, totam accuſationem aſſenſu iuſto faciliori probauit. Inquiramus igitur, ecqua ratione et Epiphanii confeſſionem non falſam, et Cauei narrationem non indoctam, eſſe intelligamus?

Queſtus ſcilicet erat Ioannes, publice ſe, ac crebro, haereſis inſimulari ab Epiphanio: dum hic, in precibus euchariſticis, rectiorem ipſi fidem precari ſoleret, formula quaſi ſolenni vtendo: Domine! praeſta Ioanni, vt recte credat. Videndum iam, qua ratione, Epiphanius litem conteſtetur? Satis fuiſſet diſſipando incerto rumori, ſi negaſſet, ſolere ſe iſta formula vti; ſiquidem non de eo, quid *dixerit*, ſed quid dicere

dicere *ſolitus ſit*, lis mota erat. At, vt grauius contradiceret, et repugnaret, falſo rumori, non ſolum quod *ſolitus ſit* iſta verba proferre, ſed et quod *vnquam protulerit*, negat. Quae quidem agendi ratio, ad placandum Ioannem inprimis erat idonea; in quo non potuere non hae cogitationes exiſtere: incredibile eſt, Epiphanium conſtanter inimica illa formula vſum eſſe, quam vel ſemel vſurpatam tam audacter negat; certe, ſi iſtis aliquando verbis me forte laeſit, id et ſemel, et animo tam parum vlcerato, factum eſſe debuit, vt, quibus me verbis compunxerit, omnino non recordetur. Bona itaque fide Epiphanius rumorem falſum, et ad reconciliandos animos apte, confutauit. Sed, vbi ad probandam negationem deſcendendum fuiſſet, tum Epiphanius, quantum ſibi impoſuerit oneris, facile cognouiſſet. Quodſi enim ſolummodo negaſſet, ſaepius ſe, aut conſtanter, iſta formula vſum, tum ad vniuerſae eccleſiae, aut certe presbyterii conſcientiam, prouocare potuiſſet: quin vnius honeſti, nedum venerandi, viri teſtimonium rem omnem confeciſſet: quia vero ne ſemel quidem verbo a ſe laeſum Ioannem conten-

dit, iam nec vnius, nec multorum teſtimonia ſatis fidei habent: cum fieri potuerit, vt eo die, quo Epiphanius iſta verborum conceptione vſus erat, illi teſtes aut non adfuerint, aut octogenarii ſenis debilem vocem non ſatis perceperint, aut verba, quibus ſenſus ſubleſtus magis, quam atrox, ſubeſt, memoriae infigere neglexerint. Quin, ſi ipſum Epiphanium fide quam optima cum aduerſario egiſſe non dubitemus, ſuſpicio tamen naſci poteſt, eum, cum variis precandi formulis identidem vſus ſit, inuiſam quoque iſtam formulam aliquando adhibuiſſe, ita tamen, vt memoriam eius ex animo mox deleuerit; id quod vel tenacioris memoriae turpe non eſſet homini, nedum ſeni, negotiis, itineribus, orationum ſacrarum multitudine, et varietate, mire diſtracto. Vt itaque ab incertis certa ſeiungantur, id ante omnia ratum ſit: *Epiphanium formula, vnde lis nata erat, conſtanter, aut crebro vſum non eſſe:* id quod tam firmum eſt, quam durum foret, praeſulem tantae grauitatis, impudentiſſimi mendacii accuſare.

Haud aeque facile perſuaderi ſibi omnes epiſtolae huius lectores patientur, ne ſemel

qui-

quidem Epiphanio, eam, quam deprecatur, formulam excidiſſe. Non dignitas hic muneris, non perſonae, quam ſuſtinuit, grauitas, indubiam ipſi fidem conciliat; ob ſuſpicionem nimirum obliuionis, quae et per aetatem, et per rem ipſam, (quae, niſi inuidioſe aucta fuiſſet, nihil Epiphanio indignum continebat) omnino locum habere potuit. Accedunt autem quaedam voces, ipſi defenſioni admixtae, quae docent, *hinc* facile fieri potuiſſe, quod factum eſſe negatur, *hinc* ipſum animum Epiphanii, iam quidem illius ſermonis non amplius ſibi conſcium, haeſiſſe tamen quodammodo dubium et ancipitem, qua tandem exceptionis formula, ſatis commoda, vteretur.

I. Dat ſuo Epiphanius aduerſario, ſe ſemper id in corde ſuo rogare, quod publice ſe rogaſſe, diffitetur. Hic miretur forte quiſpiam, viro ſcripturae gnaro non ſuccurriſſe dictum Seruatoris, *Matth. XII. 34. ex abundantia cordis os loqui:* quodque non praeuiderit, quam difficile perſuaſurus eſſet Ioanni, eam ſe nunquam protuliſſe ſententiam, qua foetum iam dudum geſtarit pectus.

II. Porro accuſat eos, qui ſoleant vltro citroque portare rumores, et iis, quae audierunt, ſemper aliquid addere. Qua re ſuſpicionem facit, quidpiam a ſe in Ioannem paulo dictum eſſe acerbius, quod, non tale, quale in ſe erat, ſed inuidioſo auctum incremento, ad Ioannem detulerint. Fac igitur Epiphanium ſaltem verba: *Tu praeſta, Domine, et cuſtodi, vt Ioannes praedicet verbum veritatis:* vel, *cuſtodi illum, qui praedicat veritatem*, aut ſimilia, nihil fellis habentia, vſurpaſſe; quid quaeſo homines inuitare potuiſſet, ad ea peruertenda, et adulteranda? Orandum ſcilicet erat, more Eccleſiae, pro Epiſcopis primariis, et, in his, pro Hieroſolymitano. Verba erant talia, qualibus plerique omnes Epiſcopi, et pro omnibus, vtebantur *. Si quis itaque, pro

* Formula ſcilicet orandi pro Epiſcopis in precibus euchariſticis haec reperitur, in *Conſtitutionibus Apoſtol.* Lib. VIII. Cap. XII. *Ἔτι δεόμεθά σου, κύριε, - - - ὑπὲρ πάσης ἐπισκοπῆς τῆς ὀρθοτομούσης τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Adhuc oramus Te, Domine, pro vniuerſo epiſcopatu, recte verbum veritatis tractante ac diſtribuente.* Et alia formula ibid. Lib. VIII. Cap. XIII. haec verba habet: *Ἔτι, καὶ ἔτι δεηθῶμεν τοῦ θεοῦ διὰ τοῦ χριστοῦ αὐτοῦ - - - ὑπὲρ πάσης ἐπισκοπῆς, παντὸς πρεσβυτερίου - - - ὅπως ὁ κύριος*

pro verbis Epiphanii, illa, quibus iraſcebatur Ioannes, ad hunc retuliſſet, is non addidiſſet aliquid auditis, ſed turpe et apertum mendacium confinxiſſet. Magis cum moribus hominum congruit, vt quis Epiphanium pro Ioanne ſic precantem: praeſta Ioanni, vt recte credat, audiuerit, et pro eo, quod audiuit, formato aliquo *Loco communi* **, ſic rem expoſuerit: Iſto ſolere modo Epiphanium pro Ioanne orare. Hoc demum pacto intelligi poteſt, quomodo Epiphanius ſine ira, aut cauillandi ſtudio, ſententiam proferre potuerit, quae, paululum mutata forma, non praeter rem Ioanni grauis et contumelioſa videbatur. Multum enim intereſt, vtrum quis in precum feruore quaedam verba, et ſemel, an vero eadem conſtanter, et ſtudioſe delecta, expromat: quorum alterum ſine contemtu, alterum non ſine contumelia, fieri potuit: id

ριος πάντας διατηρήσῃ καὶ διαφυλάξῃ. Adhuc atque adhuc oremus Deum per Chriſtum eius, pro vniuerſo epiſcopatu, omni presbyterio, vt dominus vniuerſos conſeruet atque cuſtodiat.

** Quam inſita ſit hominibus lubido locos communes huius generis formandi, explicatum legatis, Ciues, in *Theoria Locorum communium*, §. 26. quae inſerta eſt *I. M. CLADENII Logicae ſacrae p. 147.*

id quod ipſe fatetur Epiphanius: *Nunquam*, inquit, *in alienas aures pertuli*, *ne Te contemnere videar.*

III. Quin verba apologiae: *vt ſimpliciter fatear*, nec temere ab Epiphanio poſita, nec iis ignota, eſſe poſſunt, qui ſermonibus hominum de iniuria quadam accepta, aut rixantium, aut coram iudice litigantium, doctiores admouere aures conſueuerunt. Qui nempe facti conuicii inſimulantur, etſi aliqua ex parte in dicendo ſe proteruos fuiſſe non ignorent, totum tamen plerumque crimen negant; non quod nullam eius partem, ſed quod non totum, commiſerint. Vnde duplicem haud dubie fructum ſe conſecuturos ſperant: partim vt breuior fiat actio; id quod ſecando nodum, quam operoſe ſoluendo, facilius obtinetur: partim vt nullam omnino ſuſpicionem faciant commiſſi totius criminis, cuius aliqualem ſaltim partem, et quidem vel ſine *omni* crimine, vel certe *minori*, quam vt animaduerſionem, aut vltionem, mereatur, commiſerunt. Id autem ſi fiat ab hominibus paulo religioſioribus, hi ſolent formulas: *vt ſimpliciter dicam: vt breuiter dicam*, aut ſimilem

lem addere; quarum vis haec eſt: crimen, cuius reus factus ſum, nihil ad me pertinet; ſi quid autem eius rei, vnde crimen conflatum eſt, admiſſum ſit, nihil id ad accuſatorem, nihil ad iudicem pertinet: id nego, et vere nego, quod crimini mihi vertitur. Mittimus iam, num id ſinceritati omni ex parte conueniat? adde, an reo conducat, totum crimen ſic negare, vt cautione addita varias ſuſpiciones ipſe moueat? hi certe ſunt mores hominum, praeſertim eorum, qui, morae impatientes, abrumpi litem, quam lentis et accuratis diſputationibus ad iuſtum perduci finem, praeoptant. Et quis Epiphanium dubitet, in lite conteſtanda tardum, et cunctantem, non fuiſſe, quem, praeter cetera concitatioris animi indicia, velum in aliena prouincia, praecipiti manu ſcidiſſe, et ad ſuſcipiendum munus ſacrum reluctantem monachum rapuiſſe, paulo ante cognouimus.

Quapropter non poſſumus non, tota cauſſa iam cognita, ita iudicare: Epiphanium, vti fidem Ioannis vehementer ſuſpectam pridem habuerit, ſic aliquando inter preces euchariſticas, aut verba iſta: praeſta, Domine, Ioanni vt recte credat, aut ſimilia,

quae veram Ioannis religionem ſuſpectam facere poſſent, adhibuiſſe: haec deinde, quaſi aſſidue vſitata, aut ab imprudentibus, aut ab inſidioſis hominibus ad Ioannem perlata eſſe; huicque merito diſplicuiſſe: neutrum proinde ab officiis, quae bonos viros deceant, receſſiſſe: ſed damnum, eccleſiae praeſulum inimicitiis datum, omne delatorum hinc imprudentiae, hinc nocendi libidini, imputandum eſſe: Caueum denique pari, qua olim Ioannem, facilitate, pro vera et innocenti accuſationis parte, totam accuſationem, quaſi veram, amplexatum eſſe.

Votum ceteroquin ipſum Epiphanio crimini datum in ſe tale eſt, quo omnis Chriſtianus, vel pro amiciſſimo, recte vtatur; nempe ſi is nondum recte vndique credat, vt rectius, ſin iam recte credat, vt amplius credat; in Seruatorem nimirum, cuius natiuitatem hoc tempore pia celebramus memoria. In qua communi omnium laetitia cum Vos, Ciues, peculiares partes non ſuſcipere nefas ſit, Commilito veſter omni virtutum genere conſpicuus,

IOAN-

IOANNES CHRISTIANVS EYRINGIVS,

Regiomonte Francus,

ſuſcepta oratoris ſparta, hodie, a ſacris Mauritianis, *de eo quod iuſtum eſt circa ſtrenas Chriſtianorum natalitias*, veſtrae praeſentiae certus, apta faciet verba. Splendidiſſimos autem Aulae, vrbisque, Proceres, omnesque Caſimiriani Fautores, vt haec ſolemnia frequenti concione augere velint, enixe rogamus. P. P. e Tabula Caſimiriana, Feria I. Natiuitatis Chriſti A.P.S. MDCCXLVI.

III.

SCRIPTORES SACRAMENTORVM.

I.

ILL. GYMNASII CASIMIRIANI
DIRECTOR ET PROFESSORES
RELIQVI CIVIBVS

S. P.

Singulare Scriptorum genus Hiſtoria litteraria Theologica, et quidem antiquior, nobis offert, quod poſtea periiſſe, aut certe in aliud genus, mutato nomine, transiiſſe, ſuſpicio eſt. SACRAMENTORVM nempe volumina edere, ſeculo poſt natum Seruatorem quinto, et moris fuit, et in laude poni conſueuit. Indignetur forte quispiam nominis, ac tituli, obſcuritatem, malletque iſtud librorum genus aeque facile etiamnum ex ipſa inſcriptione agnoſci, atque illis apertum fuit, in quorum gratiam et vſum ab autoribus ſuis olim adornabatur. Sed qui longum iſtud temporis interuallum, ex quo *Sacramenta* ſcri-

ſcribi iam deſierunt, cogitauerit, is multo minus inique feret, operoſa id nunc inquiſitione cognoſcendum eſſe, quod infimae olim plebi minime ignorabatur. Nec difficilis eſt ratio, titulos, ſi ancipiti, aut obſcura, ſignificatione lectorem fallant, interpretandi. Vti enim ex titulo libri ambitum, ſic ex libro licet vim perſpicere tituli. Aſt, vt haec tibi facultas ſuppetat, liber ipſe praeſto eſſe debet; quo perdito, multo facilius ex vngue, quin e veſtigio, leonem, quam e fragmento tam exili, pretium, ac formam, amiſſi cognoſces libri. Atqui in has ipſas incidit difficultates, qui libros veteres, *Sacramentorum* lemmate inſignitos, noſcere cupit, vt nec e titulo, ceu obſcuriori, doctrinae genus in libro traditum, nec e libris, quippe qui pridem interiere, tituli poteſtatem perſpicere queat. Attamen, quanti haec ſit iactura aeſtimanda, cognoſcere quodammodo datur, ſi potiores *Sacramentorum Scriptores*, qualesque nobis in antiquis deſcribantur monumentis, paulo accuratius requiramus.

Obuius hic ante omnes nobis ſit SALVIANVS, *Maſſilienſis Presbyter*, de quo exſtat inſignis, qui huc ſpectat, locus apud *Genna-*

de florentem, Homilias ſcripſiſſe plures, quas Epiſcopi (quorum tum adhuc proprium fuit officium, orationes ſacras ad populum habendi) minus ingenio promti, ſuo quamque tempore recitarent. Iſthac autem admiſſa notione, quaerendum eſt, quid ſint homiliae ſacramentorum? Et quo pacto, homiliis, Epiſcopis factis, ſint oppoſitae? *Guilielmus* CAVE quidem ex verbis Gennadii titulum exſtruxit: *Homiliae in Sacramenta nonnullae.* DVPINIVS autem ita vertit Gennadium: *Il a auſſi compoſé plusieurs Homelies pour quelques Eueques, et tant de Diſcours ſur les Myſteres, que je ne me ſouuiens du nombre.* Bibliotheq. des Auteurs Eccleſiaſtiques T. IV. p. 215. Vterque vir praeſtantiſſimus in ea videtur fuiſſe ſententia, Saluianum in ſuo *Sacramentorum* Opere, de Sacramentis, quae Graeco vocabulo *myſteria* appellantur, ſimili modo homilias adornaſſe, quo in *Homiliis Epiſcopis ſcriptis* alios Theologiae locos iuſtis orationibus, et concioni aptatis, illuſtrauerat. Neque noſtrum dubitaremus huic ſententiae adiicere calculum, niſi nos moraretur *oppoſitionis*, quae in Gennadii verbis elucet, ratio. Iſta nimirum ſtante opinione,

ne, nihil intereſſet diſcriminis inter *Homilias Epiſcopis factas*, et inter *Homilias Sacramentorum.* Quodſi enim Homiliae Saluianeae tales erant, quas coram populo recitare non pudebat Epiſcopos, quidni orationes etiam eius de Sacramentis ſibi ſumſiſſent ſubſidio? Nam et *de Sacramentis* ſaepe verba ad populum facere cogitur Epiſcopus. Itaque cum Gennadius nihilominus ab *Homiliis Epiſcopis factis* ſeiungat *homilias Sacramentorum*, neceſſe vtique eſt, vt doctrinae genus in *Sacramentis* traditum non fuerit eiusmodi, quod pro ſuggeſtu ab Epiſcopo, vel qui forte vicem eius ſuſtineret, commode poſſet proferri. Vnde illud iam, tanquam ratum et firmum, ſumimus: *Sacramentorum libros non continere homilias vulgari ſenſu ſumtas, ſeu orationes ſacras e ſuggeſtu ad populum habendas.*

Nec illud fas putamus ſilentio praeteriri: nullam apparere cauſſam, qua commotus ſit CAVEVS, vt *quasdam* ſaltem Saluiano tribuat Sacramentorum homilias. Gennadius enim, quem Caueus ſequitur, *tantas* memorat *homilias*, *quantas nec recordetur.* Quibus verbis inſignem indicari multitudinem, neminem putamus poſſe dubitare.

Agno-

Agnoſcit multitudinem DVPINIVS, loco ante excitato, ſed non tantam, quantam indicare voluiſſe videtur Gennadius. Tam multas dicit a Saluiano ſcriptas homilias Sacramentorum, vt Gennadius *oblitus ſit numeri*. Ad obliuionem autem *numeri*, nihil facit multitudo: aeque facile millenarius, quam centenarius, aut denarius numerus memoriae infixus haeret. Nec de numero obliuioni tradito Gennadium queri, ex eo patet, quod nec *Homilias Epiſcopis factas* ad certum exegerat numerum. Aliud quid Gennadius animo agitaſſe videtur, cum Saluiano *tantas* tribuit Homilias, *quantas non recordetur*. Nempe non recordabatur tot Sacramentorum homilias vno volumine comprehenſas, aut ab vno autore compoſitas, ſibi vnquam eſſe oblatas. Quae ſi Gennadio mens fuit, ſimul conſtat, *Saluianum in hoc doctrinae genere, vnum inter omnes, fuiſſe copioſiſſimum, ac facile principem.*

VOCONIVS, CASTELLANI, *Mauritaniae oppidi, Epiſcopus, ſcripſit aduerſus Eccleſiae inimicos, Iudaeos et Arianos, et alios haereticos. Compoſuit etiam* SACRAMENTORVM *egregium volumen.* Sunt verba

ba GENNADII *de Scriptor. Eccleſ.* c. 78. Tenemus *ſcriptorem Sacramentorum* non poſtremi ordinis, ſed tanta breuitate deſcriptum, vt e *Sacramentorum* indole, nihil ſigillatim appareat, niſi hoc vnum, quod e comparatione cum Saluiani *Sacramentis* ſit notabilius: *Sacramenta turmatim edi conſueuiſſe.* Argumentum libri non magis declarat Paraphraſis DVPINII, qui iſta Gennadii verba ſic transtulit: *Il a auſſi composé un excellent Ouurage des Sacraments et des Myſteres.* Bibliotheq. des Auteurs Eccleſ. T. IV. p. 230. Quicquid autem praeclari opus Voconii comprehenderit, id omne, vna cum reliquis eius operibus, temporum iniuria pridem nobis eripuit.

Ampliori adhuc laude inſtructa reperiuntur *Sacramenta* MVSAEI, Presbyteri Maſſilienſis, pariter ſeculo quinto florentis. Integrum Gennadii caput, quia ad illuſtranda *Sacramenta* inprimis pertinet, huc quod transferatur, dignum videtur. MVSAEVS, inquit, *Maſſilienſis Eccleſiae Presbyter, vir in diuinis ſcripturis doctus, et in earum ſenſibus ſubtiliſſima quadam exercitatione limatus, lingua quoque Scholaſticus, hortatu Sancti Venerii, Epiſcopi, excerpſit de ſanctis*

Scriptu-

Scripturis lectiones totius anni, feſtiuis diebus aptas; Reſponſoria etiam Pſalmorum capitula, temporibus et lectionibus congruentia. Quod opus tam neceſſarium a Lectoribus in Eccleſia probatur, vt expetitum et ſollicitudinem tollat, et moram; plebique ingerat ſcientiam, celebritatique decorem. Sed et ad perſonam ſancti Euſtathii, Epiſcopi, ſucceſſoris ſupra dicti hominis Dei, compoſuit SACRAMENTORVM *egregium et non paruum volumen; per membra quidem pro opportunitate officiorum et temporum, pro lectionum textu, Pſalmorumque ſerie et cantatione, diſcretum, ſed ſupplicandi Deo, et conteſtandi beneficiorum eius ſoliditate ſui conſentaneum. Quo opere grauiſſimi ſenſus, et caſtigatae eloquentiae agnouimus virum. Homilias etiam dicitur declamaſſe, quas et haberi a fidelibus viris cognoui, ſed ego non legi. Moritur Leone et Maioriano regnantibus. de Scriptor. Eccleſ.* c. 79. Cognoſcas ex hoc, illuſtri quondam, Muſaei opere, earum, quas iam ante ſtabiliuimus, adnotationum veritatem: partim Sacramentorum opus ab Homiliis, et homiliarum collectionibus, eſſe diuerſum; quippe *Sacramenta* Muſaei vidit, et legit Gennadius, Homilias eiusdem nec vidit, nec legit; partim Sacramentorum libros tantam partium turbam com-

complecti ſueuiſſe, vt in iuſtam facile excreſcerent molem. Quibus quaeſtionum momentis accedunt admonitiones aliae, quas non facile alibi aeque perſpicue reperias propoſitas. Sed has praeſenti quidem Proluſione expedire non vacat.

Reliquam enim eius partem ſibi vindicat rerum in Gymnaſio noſtro proxime gerendarum ſeries. Inſtat nimirum *autumnale* vtriusque coetus *Examen*; quod more rituque maiorum peracturi, *craſtino die* ſpeciminis conſueti materiem dabimus; quibus exhibitis *VI. Non. Octobr.* ſequetur exploratio Ciuium publicorum , et *proximo deinceps die*, tentamen Paedagogicorum; ex quibus, qui digni videbuntur, *die Mercurii*, audita Directoris Oratione Cenſoria, in numerum Publicorum cooptabuntur. Reliqui eius hebdomadis dies, ob luſtrationem Scholae Senatoriae, vnde nouus Ciuium nobis prouentus ſolet ſuccreſcere, lectionibus publicis erunt vacui. Quae ſolemnia vt ad vtilitatem , gloriamque Gymnaſii, cui promouendae deſtinata ſunt, cedant, vehementer optamus, atque a ſummo omnium bonorum diribitore , literarumque defenſore, pie rogamus.

Admo-

Admonendos quoque vos ducimus, Ciues, de Oratione publica, qua Commilito veſter, omnibus virtutibus inſtructiſſimus, et doctrinam non contemnendam in ampliorem Academiam ſuo tempore allaturus,

FRIDERICVS WOLFFGANG DIETERICVS

Byruthinus,

gratam mentem Patronis, a quibus beneficio menſae gratuitae mactatus eſt, ac doctoribus ſuis, declarabit. Is, ſtudioſe ac cupide a vobis audiendus, *ambiguam Iuris Romani in Germaniam introducti vtilitatem, Pridie Cal. Octobr. hora conſueta*, apto ſermone explanabit. Speramus autem Patronos, ac Fautores, Caſimiriani, quibus res noſtrae, vt bene conſtitutae maneant, quin illuſtriores fiant, curae eſſe ſolent, labores hos publicos gratioſa, ac beneuola, ſua praeſentia, more ſuo eſſe ornaturos.
P. P. e Tabula Caſimiriana Dom. XVII. poſt Trinitat. A. R. S. CIↃ IↃ CCXLVII.

(o)

IV.
ANTIQVITATES GENERIS HVMANI

ILL. GYMNASII CASIMIRIANI

DIRECTOR

IO. MARTINVS CHLADENIVS

CIVIBVS SVIS

S.

I.

Cum duae exſtiterint gentes, quae cum armorum vi, vim ingenii haud inferiorem feliciter coniunxere, Graeci atque Romani; haud vllum, praeter hos ipſos, reperias populum, qui rerum ſuarum memoriam paullo prolixiorem ad poſteros, et ad noſtra usque tempora, propagarit. Reliquae gentes, praeter Iudaeos, quorum res religionis ſanctitas immortales reddidit, et minus fauentem expertae ſunt fortunam, et ſuae gloriae aeternitati ipſae imprudentes obſtitiſſe videntur. Sic Aegyptii in exſtructis potius immenſis molibus, operumque incredibili vaſtitate,

ſtitate, ſpem nominis ſui poſuerunt, quam in literarum et ſapientiae monumentis. Vicerunt itaque temporis edacitatem, pyramidum aliarumque ſubſtructionum firmitate; obliuionis vim, quin ipſorum autorum conſumeret nomina, ab Herodoto iam fruſtra quaeſita, reprimere non potuere. Poenorum mores et inſtituta, Romanis ipſis ex magnitudine et ſeueritate metuenda, quis non antiquitatis paullo curioſior cognoſcere vehementer geſtiat? At hos, antequam cum virtute bellica ingenii et literarum decus coniungerent, Scipionis fulmen iuſto citius exſtinxit. Atqui his, in triſtiſſima iſta reipublicae internecione, ea tamen contigit felicitas, ut ab hoſtibus non barbaris, ſed litterarum ſtudiis iam adſuefactis opprimerentur; per quos aliqualis rerum Punicarum notitia, monumentis doctiſſimorum ſcriptorum illata, una cum his ad vltima vsque ſecula transmitteretur. Caeteras autem gentes barbaras, quarum res quondam ſatis amplas, et illuſtres, fuiſſe, dubitare non licet, cum in poteſtatem hoſtium non minus barbarorum inciderint, et ſuum, et victorum, illiteratum ingenium ab obliuione nulla ratione potuit

 vindi-

vindicare. Ergo iam omne antiquitatis non ſacrae ſtudium in res Graecas conuerſum deprehendimus, atque Romanas; quippe quas ſolas inſtaurari, atque in corpus aliquod venuſtum redigi, ex ingeniorum monumentis, poſſe ſpes ſupereſt. Quod genus doctrinae tantum habet, partim ex vtilitate, partim ex ſuauitate, commendationis, vt ingenioſiſſimum quemque his in rebus deſudare, maiorumque noſtrorum laudatiſſimos labores amplificare, minime poeniteat. Quid quod ad magnam doctrinae laudem, ampliſſimamque nominis conſequendam famam, ſatis fuit multis, florentiſſimam vitae aetatem cognoſcendis Romanorum Graiorumque rebus tranſegiſſe; aut certe luculentis quibusdam commentariis unam et item alteram antiquitatis partem colluſtraſſe.

II.

Et manebit futuris quoque ſeculis, ob amplitudinem, antiquitatibus Romanis Graecisque ſuum decus. Quodſi vero omnium Antiquitatum quoddam Syſtema efficiamus, huiusque partes, ſibi inuicem collatas, non ex copia rerum et varietate, ſed

ex

ex eo aeſtimemus, quae tandem antiquitatum pars plurimum habeat inter omnes admirationis; tum ſane non Romanorum Graecorumue, aut alterius cuiusuis gentis, ſed *humani generis antiquitatibus* primae partes forent tribuendae. Iſto nimirum nomine peculiarem innuo conditionem et ſtatum hominum, qui non ſingulari alicui genti, ſed, prima mundi aetate, cuncto generi humano, nondum linguarum diuortio diſtracto, maximam conciliat admirationem. Atque haec eſt ſacra illa Antiquitatum pars, quam dignam ſummum Numen iudicauit, quae Prophetarum teſtimoniis, ad fidem poſteritatis, confirmaretur, et ipſi verborum diuinorum codici inferretur. Caeterum res ipſa partem eruditionis noſtrae conſtituit, quam qui, ingenii ſui importuna vi, impugnare et ſubruere conantur, quanta ornamenta rei literariae detrahant, non ſatis grauiter et acute cogitare videntur. Sunt enim iam multi, qui nihil in hiſtoria, nihil in ipſis antiquitatibus, ferendum putant, niſi quod cum praeſenti rerum noſtrarum ſtatu, moribusque noſtrorum temporum, vndique congruat. Quod ſi recte fieret, inane

vtique eſſet Antiquitatum generis humani nomen; cum ſemper, vt nunc, artes floruiſſe, linguarum diuerſa genera obtinuiſſe, commerciorum cauſa mercatores vltro citroque commeaſſe, ſtaturam et aetatem intra eam, quae nunc eſt, anguſtiam conſtitiſſe, omniaque, eo modo, quo nunc ſe habent, olim ſe habuiſſe cenſendum foret. Cui rei, niſi teſtimoniorum repugnaret autoritas, ipſa certe ratio, et communis rerum refrageretur natura. Quae enim tandem res eſt, quae paullo diutius duret, cuius initia non longe diſcrepent a media eius aetate, ipſoque multo magis fine? Hominem nonne videmus, per varias aetates, tam inſignes pati mutationes, vt eandem naturam plane mirabile ſit, tam breui tempore, tam diſſimiles, et contrarias ſumere, ac deponere, formas? Nonne ipſae arbores ac plantae, in diſſito ab eo, vbi ſponte naſcuntur, ſolo conſitae, mutare ſolent ingenium? In iis autem rebus, quae ingenio parantur hominum, quis ignorat, quemadmodum a rudioribus exemplis tandem ad ornatiſſima et venuſtiſſima, primisque omnino diſſimillima, ars elaborando progrediatur? Tantum

ergo

ergo abeſt, vt ratio, ac rerum vſus, nos de conſtanti rerum durabilium conditione, ac ſtatu admoneat, vt potius omni modo doceat, eum ſtatum, qui per longum, vt nobis videtur, tempus iam durauit, nec ab vltimis mundi initiis eundem fuiſſe, nec in aeternum eundem fore. Artis autem eſt, et ingenii, priſtinum illum rerum ſtatum non negare et ignorare, quod in ſtultiſſimum quemque pariter cadit; ſed aut cogitando indagare, aut, ſi in tabulis et monumentis deſcriptus legatur, cum praeſenti rerum conditione apte conciliare. Itaque non eſt ingenii, et excultae rationis, documentum, negare ideo priſcorum longaeuitatem hominum, quod nullum iam reperiatur hominis exemplum, qui poſt tria quatuorue ſecula nondum ſit in cineres redactus, ſed vigeat potius adhuc, detque liberis procreandis alendisque aſſiduam operam. Cuiusmodi diſputatores, cum non ex reconditis naturae legibus, et profundiori doctrina, quae ceteros eruditos forte lateat, ſed ex ipſo ſenſu, et ipſi plebi obuia naturae conſuetudine, ſoleant ducere argumentum, non maiorem promerentur laudem, quam intempeſtiui illi cen-

 ſores,

ſores, a Nepote repulſi, qui, ignari literarum Graecarum, nihil rectum, niſi quod ipſorum moribus conueniret, putarunt.

III.

Etiamſi igitur de Antiquitatibus humani generis nihil vnquam fando eſſet auditum, ſique nullum omnino eius rei exiſteret teſtimonium; ratio tamen ipſa ſuaderet, vt primam aetatem hominum, non vbique noſtrae ſimilem, ſed multis modis diſſimilem fuiſſe vltro ſuſpicaremur. Id quod ſufficit vindicandae huic doctrinae ab inanitatis opprobrio. Nimis autem ſe audacem praeberet is, qui, neglectis antiquis monumentis, primum et antiquiſſimum humani generis ſtatum fingere ex ingenio, et veluti procreare, vellet. Non enim plus videt in praeteritis rebus mens humana, quam in futuris, et, ſi quid in vtroque iſto veritatum genere eruendo valet, progredi certe, et aſſurgere, vltra ea, quae cum ſtatu noſtro conſentiunt, perparum poteſt. Tabularum fide et teſtimoniorum hic res omnis gerenda eſt. Sed hoc opus, hic labor eſt. Duo enim ſunt, quae hanc antiquitatis partem explicatu reddunt difficilli-

cillimam. Alterum eſt teſtimoniorum cum breuitate coniuncta paucitas: alterum ipſa ſtili et dictionis, qua autor diuinitus inſpiratus vſus eſt, ſingularis ſtructura, et concinnitas. Et iſti quidem inopiae nemo, niſi Deus, ſubueniat: hanc autem foecundum forte interpretis ingenium quodammodo ſubleuet. Quamquam enim mira breuitate Protoplaſtorum, et ceterorum diluuium antegreſſorum hominum, acta ſint deſcripta, vt veſtigia magis veterum rerum, quam ipſas res, conſpiciamus: geſtit tamen animus, eruditionis amplioriſque doctrinae appetens, ex his veſtigiis, exilibusque fragmentis, paulo pleniorem generis humani antiquioris imaginem inſtaurare. Nec proinde mirum, quod, qui ante ceteros ingenii vi ſe pollere, vel ſenſerint, vel perſuaſum temere habuerint, fere omnes, ad primordia generis humani conuerſi, haec ſibi ſumſerint illuſtranda. Et eſt vtique quoddam interpretis officium, ex propoſitis rerum veſtigiis ipſas res, et e compendioſa narratione paulo longiorem formare deſcriptionem: qua de re in *arte interpretandi* (§. 410.) egimus. Sed tantis, eheu! difficultatibus premitur iſtud

inter-

interpretationum genus, vt praeter veriſimiles coniecturas, quas nunquam omnibus facias probabiles, certi nihil adhuc poſſit tradi. Non condemnenda tamen ſunt doctorum hominum tentamina, quae, vti ſunt in quouis antiquitatum articulo diuerſa, et nonnunquam contraria, ſic, coniuncta, talem rerum antiquarum imaginem exhibent, qualis rerum e longinquo conſpectarum eſſe ſolet, nempe anceps et in multas verſatilis partes; qua meliorem et ſtabiliorem multi exoptent, ſperare prudens audeat nemo. Sic impoſita eſſe brutis animantibus a ſatore noſtri generis nomina, diſertis relatum legimus verbis, Gen. II. 20. Interpretandi iſtam antiquitatis partem non aliam deprehendimus cauſſam, quam curioſum hominum ingenium, et plura cognoſcendi cupiditatem, quam quae diſertis verbis in hiſtoria *ὀνομαθεσίας* praecipiuntur. Noſſe ſcilicet cupierunt homines ingenioſi, ecquod Adami deſiderium, vel quae vtilitas, popoſcerit, vt non ſine nomine per campos errare pecus ſiuerit Numen, ſed, quaſi famulitium, certis nominibus Adamo ſignandum ſtiterit? Nec ignorare voluerunt nonnulli,

quas

quas leges, in illo *primo labore Grammatico*, ſecutus ſit, colloquii humani ſuauitatem nondum expertus generis humani parens. Vtrinque, pro ſuo quisque ingenio, hinc libidinoſas, hinc lepidas, hinc ſobrias et ſerias protulit hypotheſes; quae facilius, coniunctae, multitudine ſua et varietate, quam ſingulae veritatis notis, animum oblectant.

IV.

Interim ſi voluptas quem capiat eas antiquitatum generis humani partes, quas priſcorum iuxta ac nouorum interpretum improbus labor iam iam dilatauit, in Syſtema quoddam cogendi; is facile multos colligat titulos, et longiſſimae tractationis numeroſa capita. Adamum ſolum, vxore nondum auctum, quam diligenter ſcrutata eſt interpretum induſtria? Animum alii ſpectarunt, quem, ceu ad imaginem Dei conditum, puriſſimum ſanctiſſimumque fuiſſe credimus, alii vehementioribus affectibus iam imbutum, Rabbinorum exemplo, ex ipſis Chriſtianis nonnulli, vt Poiretus, Hardtius, improbe cenſuerunt. Inuſitatas alii corporis dotes, proceritatem, pulchri-

pulchritudinem cum ſplendore coniunctam, peculiarem generandi vim, androgynum Adamum fingendo, in medium produxerunt; nec tamen rationibus tam aptis confirmarunt, quin a Fechtio, Kochio, Schneringio, aliis, non multo potuerint euerti negotio. Nec pauciores quaeſtiones habet matrimonium protoplaſtorum; quod Rabbinorum ad fabulas natum ingenium in Polygamiam, addita vxore Lilith, conuertit, tanta quidem mentiendi audacia, vt, in ſeria harum antiquitatum tractatione, fabulis illis locus vix concedatur. Iam primum primorum hominum domicilium, quod hortum Eden Scriptura monſtrat, multo longius interpretes ſpectatores, quam primos homines habuit habitatores. Huius veritatem Dogmatici, locum Geographi, venuſtatem Poetae tanto ſtudio inueſtigarunt, quantum in re amiſſa, et plane deleta, vix ponendum forte quis arbitretur, qui antiquitatibus pretium ſtatuat non ſatis aequum. Duo praeterea horti iſtius ſpectatores mirabilia detinere ſolent; cultura partim eius Adamo demandata, labore moleſto vacua; partim binae arbores, quarum altera mortem

tem hominibus attulit, altera recuperandae immortalitatis ſpem praebuit. Vtraque tamen quaſi in ſupellectili primorum hominum fuit, qua paulo poſt, ex nuditate iam miſeri, grauioris poenae loco, ſpoliabantur. Longum foret earum recenſere titulos rerum, quae Protoplaſtis acciderunt poſt Paradiſi iacturam, quae tum nouae erant, iam vero pridem inter antiquitates eo magis eminent, quod antiquitatum, quae in ſingulis poſthac gentibus extiterunt, principia et fontes continent. Sic ſacrificia quaelibet gens, ſuo ritu ac more, Diis obtulit: primum ſacrificium ad antiquitates generis humani pertinet. Eiusdem dignitatis eſt prima veſtimentorum forma, inſtrumentorum aeneorum inuentio, noua ex Muſica arte aurium oblectatio, gigantum noua generatio, minaces prophetarum conciones, alia, quae non minus admirationis, quam venerationis, ad vltima vsque generis humani tempora, aut habitura ſunt, aut, non niſi exſtincta verbi diuini fide, non habitura.

V. Non

V.

Non poſtremam autem fidei noſtrae ſalutaris partem hae generis humani conſtituunt antiquitates; magisque excitandae pietati, quam explendae ſciendi cupiditati, quanquam et hanc expleant, dicatae ſunt. Nec enim mediocre menti noſtrae lumen infert praeſentis noſtri ſtatus cum primo homine, qualis recens a manu conditoris fuit, comparatio. Ille beatus fuit; nos atra miſeriarum et curarum turba circumſtat. Pro ſolatio iam eſt, cauſſam noſtrae calamitatis noſſe; et minus doloris habet, culpam acceptae cladis in ipſa generis noſtri ſtirpe agnoſcere, quam conditoris bonitatem contumelioſe atque improbe accuſare. Commodum eſt, multisque modis ſalutare, *melioris hominis* notionem animo circumferre. Quo enim fine homines terras diſſitas adire, et peregrinas gentes conſueuerunt ſalutare, quam vt perfectiorem hominis notionem, quam qua inter ſuos ab ineunte aetate imbuti ſunt, ſibi comparent. Quod ſi nouos ſaltem, qualescunque cetera ſint, hominum vultus, et mores cognoſcere vellent, non olim ad Graecos fuiſſet, non ad Gallos nunc

nùnc eſſet, excurrendum. At cum cultiſſimam quamque gentem potiſſimum peregrinando petere, barbaras negligere, ſoleamus; ſatis intelligitur, quantum humanitatis interſit, melioris nobismet ipſis hominis imaginem pectore geſtare; cuius aſſidua contemplatione, et imbecillitatis noſtrae, ruditatisque, conſtanter admoneamur, et ad imitationem exempli propoſiti incitemur. Sed noſtri peregrinatores non virtutis exempla, ſed elegantiae, requirunt; et apud eos quidem populos, qui et ipſi forent ſapientiores, tantumque a vanitate ac leuitate, quantum a ruditate, receſſuri eſſent, ſi ſe quoque cum meliori hominis imagine conferrent, nec ſibi ipſi, tanquam omnis humanitatis et elegantiae autoribus, nimium indulgerent. Ergo qui ad hos commeant, ſaepe elegantiam, multis vitiis corruptam, reportant, et mutati, ſed hinc inde in peius, redeunt. Profuit tamen permultis ſumtuoſa iſta cum elegantioribus hominibus familiaritas; ſuisque hi incrementis nos admonent, quantum vtilitatis, et ad virtutem adiumenti, afferre debeat cogitatio hominis perfecti, et ad imaginem Dei conditi, qualis pri-

mus homo e manu prodiit creatoris. Iſthanc igitur antiquitatum generis humani partem conſecratam voluit ſummum Numen; vt homines, ſanctificationis ſuae, per fidem, memores, exemplar haberent, ad quod noua mentis pulchritudo ſit conformanda. Col. III. 10.

VI.

Vti vero nihil impedit, quo minus, quod ad pietatem et morum facit ſanctitatem, idem eruditionis, quin elegantioris doctrinae, pars habeatur; ſic antiquitates generis humani, prae antiquitatibus ſingularum gentium, duplici commendatione florere exiſtimamus. Piorum nempe hinc animos mouent, hinc doctorum hominum, vel potius vltimae antiquitatis cognoſcendae cupidorum, deſiderium explent. De priori dote nemo dubitet: altera ideo minus nota, certe a paucis annotata eſt, quod eruditionis ſpeciem, ac laudem id fere perdat, quod et ab ineunte aetate, et omnis ordinis ac ſexus hominibus promiſcue ſolet inculcari. Sed verus rerum aeſtimator partes eruditionis non ex raritate cultorum, ſed ex vera vtilitate et doctrinarum ſublimitate, prudens aeſtimabit.

VII. Erunt

VII.

Erunt igitur forſitan, qui inde antiquitatibus generis humani non exiguum dignitatis accedere putent incrementum, quod earum notitia non religionis ſolum, ſed etiam eruditionis, partem conſtituat. Et ita quidem fieri par erat. Antiquitates enim colere non eſt, eas petulanti ingenio inuadere, aut ad ineptas ſententias detorquere, nedum plane in ludibrium vertere; ſed graui, et veritatis cupido, animo inſpicere; ſingulas partes, adhibita iudicii norma, luſtrare; vbi tectae adhuc tenebris ſunt, luce rationis admota in apricum producere, et dilatare. Ex huiusmodi cultoris manibus quidni ornatiores, et locupletiores, antiquitates, aut quaelibet aliae doctrinae partes, prodeant. Neque hilarioris huius fortunae expertes fuere antiquitates generis humani, ſed ab ingenio Whiſtoni, Burneti, Schuckfordi, aliorum grauiſſimorum virorum, et auctiores, et ſplendidiores, redierunt. Eaedem tamen non nuper demum, ſed iam olim, et ſaepius, grauiſſimam ſunt paſſae iniuriam, a male feriatis hominibus, qui colendarum originum generis humani ſpecie, eas in

quandam libidinoſi, et petulantis, ingenii officinam commutarunt. Iudaeorum certe magiſtri bis improbos hic ſe, imo impios, praeſtiterunt; hinc ineptiſſimas fabulas aſſuendo, hinc impuriſſimas cogitationes impudenter effutiendo. Sed iſtas fabulas, quoad libidine carent, nemo vnquam Chriſtianorum amplexus eſt. Quo magis mirari ſubit, ex Chriſtianis nonnullos, ea potiſſimum Iudaeorum probare deliria, quae aut impuras res, aut certe ab impuro animo profectas, continent. Quaſi vero ex fabularum turba, eae ſint maxime probabiles, et doctorum hominum aſſentatione digniores, quarum cogitatio in Venerem concitet ſalaciores. Inter hos autem importunos interpretes alii rem ſerio agunt, alii per iocum, et ſcurriliter. In quo poſteriori dicendi genere eminet Beuerlandus, qui non tam erroris, quam libidinis, vim, per calamum effundere voluiſſe videtur. Interim, ſi poſthac plures, ſimili intemperantia, alias atque alias antiquitatum partes aggrediantur, verendum omnino eſt, ne ſanctiores hae antiquitates, doctorum hominum ſtudiis non, quod ſperare licuiſſet, confirmentur, et

exor-

exornentur, ſed contemtui hominum, nihil tale meritae, exponantur: a qua olim calamitate tutae fuerunt, quousque nimirum non ad diſputandum, ſed ad credendum e Scripturae penu expromebantur.

VIII.

Maneant itaquae iſtae antiquitates, ſi ſatius videatur, rei ſacrae et diſciplinae ſanctiori propriae: in ſcholis autem ſtudiis literarum conſecratis vigeant antiquitates ſingularum gentium, inprimis Romanae; quarum amplitudo et vtilitas tanta, tamque profeſſa eſt, vt vtramque aut copioſe declaraturus, aut adſcititiis rationibus commendaturus, ſuperuacaneam videatur eſſe operam perditurus. Partem autem elegantioris doctrinae tam illuſtrem in noſtro Gymnaſio non ſolum non negligi, ſed ex inſtituto etiam, publicisque praelectionibus, tractari, e dignitate huius Collegii viſum eſt prouidis ac ſplendidiſſimis eius Scholarchis, ac Curatoribus; qui cum munere docendi linguam Latinam, Antiquitatum Romanarum Profeſſionem coniungendam nuper cenſuerunt. Ad vtramque itaque prouinciam ornandam, annuente

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO FRANCISCO IOSIA, DVCIS SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGRIAE ET WESTPHALIAE, reliqua, PATRIAE PATRE INDVLGENTISSIMO, ex Salana Academia euocarunt Virum Praenobiliſſimum atque clariſſimum, M. IOANNEM FRIDERICVM GRVNERVM, ad haec ſtudia non ſolum natum, ſed et a doctiſſimis Viris ab ineunte aetate, in hac ipſa bonarum literarum officina, excultum, deinde docendis his artibus, in Academia tam florente, multum exercitatum, ac iam iam ſcriptis, quae ad antiquitatem Romanam illuſtrandam pertinent, commentariis, iisque egregiis, ac docto cuique probatis, illuſtratum. Adſtituere nouum Profeſſorem Cathedrae noſtrae, more maiorum, me iuſſit venerandum Scholarcharum Collegium: cuius voluntati lubenter parens, futuro die XII. huius menſis, ego quidem praemiſſa oratione: *de familiaritate cum priſcis Romanis non ſine multo labore comparanda*, Doctori collegio noſtro feliciter dato nouam muneris dignitatem ita gratulabor, vt ſimul de grauitate admoneam: Iſte autem, *de neglectus,*

quem

quem hac aetate ſentimus, literarum ad humanitatem pertinentium, cauſſis, verba ſic faciet, vt nihil, quod ad initia muneris ſpectet rite pieque capienda, omittat. Quae ſolemnia, vt reddantur, quam fieri poteſt, maxime illuſtria, facile obtineri poſſe intelligo, ſi SERENISSIMVS PATRIAE PATER, ſaepe iam deuotiſſimis noſtris precibus commotus, vna cum SERENISSIMO PRINCIPE IVVENTVTIS, DOMINO FRIDERICO IOSIA, gratioſiſſimam ſuam praeſentiam Collegio noſtro, iſthoc laetiori die, indulgere non dedignetur. Quod ſi ex voto eueniat meo, de Procerum aulae Ducalis, ac caeterorum Gymnaſii noſtri Fautorum, ſtudio eo minus dubito, quo impenſius hos Doctoris inaugurandi et perſonae, et illuſtri genti, fauere, ac de vtraque bene mereri velle, perſuaſum habeo. Vos, Ciues vtriusque coetus, in cultum Doctori, veſtris ſtudiis, et commodis promouendis paratiſſimo, exhibendum ſponte veſtra ruituros eſſe, plane praeuideo. Faxit Deus immortalis, vt Illuſtre Caſimirianum, Doctore iterum ex ſe nato auctum, in omne aeuum floreat, iisque ſemper abundet Ciuibus, qui olim re-

ligionis ſanctitatem tueri, et amplificare, reipublicae negotia feliciter procurare, variis priuatorum neceſſitatibus prudentia, conſilio, doctrina ſubuenire, quin et ipſi ſplendido doctorum munere multa cum dignitate fungi, ſi res poſcat, valeant. *P. P.*

e Tabula Caſimiriana Dom. I. Epiph.

cIↃ IↃ XXXXVIII.

V.

TRAIANVS, PRINCEPS OPTIMVS, NVM SINE LETERIS?

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS PRORECTOR CIVIBVS ACADEMICIS.

S.

Plinium tam foecundum, in laudando Imperatore optimo, tamque ſolertem extitiſſe, multis placet, vt, exhauſtis omnibus boni Principis laudibus, locum, vnde laudis quid illuſtrioris repeti poſſit, non probe excuſſum reliquerit nullum.

lum. Summo ſcilicet heroi par obtigerat orator; quorum alteri nulla pars deerat gloriae, alteri nullum ornandi Principis elabi poterat argumentum. Accedebat enim ad ingenii, quod Plinio inerat, praeſtantiam. pietas in Traianum ſumma, amore potiſſimum nixa; et quaedam ex coniunctione animorum familiaritas; vt nec latere eum quicquam laude dignum, nec quaerentis fallere diligentiam poſſet. Refert autem noſtra noſſe, num vere praedicetur de Plinio, nihil eum, quod in Principe ad aeternitatem valeat, non commendatum omiſiſſe? quandoquidem quicquid ille tractauit, id nemo facile illuſtrioribus vel ſententiis, vel verbis, aut ad laudationem, aut ad imitationem, proponat; ſi quid autem is forte neglexit, illud, ceu vacuum adhuc, a ſummo quodam oratore occupari queat, vt optimi tandem principis imago omni ex parte abſoluatur: niſi Plinii ſimilis omnino ſit fortuna cum Apelle, cuius Venerem alteram corruptam reficere, alteram inchoatam nemo perficere, auſus eſt. Sed nos Plinii ſucceſſorem, vt vt ex alia gente, non deſperantes, ipſamque eius Panegyricam orationem ad

ſeculi noſtri mores geniumque exigentes, quidpiam in iſtis ſummis opibus deſideramus, quod, caeteris pulcherrimis partibus, inſtar vnionis, inſertum, et circumiectis virtutibus ad ſplendorem prodeſſe, et ipſum ex illis amplius exſplendeſcere potuiſſet. Recordantur facile omnes, quam bene Traianus de Senatu, de Ciuibus, de omni hominum genere, meruerit; quam porro templorum honorem, vrbis incolumitatem, legum aequitatem, ſaluam praeſtiterit, nec quicquam, tyranni furore collapſum, non inſtauratum reliquerit; quam denique in omnibus factis magnum ſeſe praeſtiterit. In numeroſiſſima tamen iſta laudum virtutumque ſerie, quis putet, nullam omnino Literarvm iniectam eſſe mentionem! Quaſi vero eae nec ab optimo principe, nec ab optimo laudatore, in aliquo numero ſint habendae. Certe id doctrinarum oſores, quales omnis aetas ſatis multos ferre ſolet, ſubſidio errori ſuo forte ſumant, parumque intereſſe Principis, ſalutisque publicae, argutentur, ſeu is faueat bonis literis, ſeu altis inuideat ſuperciliis; quandoquidem in exemplo optimi Principis, omnium ſeculorum vtilitati inſer-

inſeruituro, nec verus reperiatur, ac ne quidem per adulationem fictus, literarum amor.

Ferent curam noſtram lectores, et ſollicitudinem literatam; quod nihil non eruditioni infeſtum ſic metuamus, vt eius qualemcunque vim nihilominus reprimendam, multoque minus aut tanti Imperatoris exemplum, aut tanti oratoris autoritatem, inertiae contemtuique literarum concedendam putemus. Vnde duplex nobis naſcitur diſputandi cauſſa; hinc vindicandi Traiani in rem literariam merita, hinc ſilentio Plinii veniam impetrandi: ſi modo venia is indiget, qui loci temporisque rationibus recte aeſtimatis, et fandi, et tacendi, iuſtum vbique tenuit modum. Nocuit tamen iſto ſuo temperamento Traiani gloriae Plinius, dum plerique eruditorum nec meliorem, nec minus bonum iudicant, quam qualem ex iſto Panegyrico cognouerunt; pariterque ea, quae ibi ſilentio premuntur, magna cum fiducia aut ignorant, aut negligunt, atque illa, quae ibi laudando maxima ſiſtuntur, non minora putant, quam deſcripta leguntur. Itaque qui, ex ipſo in literas fauore, Plinia-

ni

ni ingenii beneficio, optimus eſſe viderique potuiſſet, is, eo quidem nomine, vix a quoquam celebratus reperiatur.

Attamen is fuit Traianus, qui, quamquam bellicis artibus ab ineunte aetate eſſet imbutus, nec ſcientiae, ſed virtutis militaris atque imperatoriae, laude ad ſumma eniteretur, de literis tamen, literatisque hominibus, optime meruit. Praeſto eſt, qui id nobis confirmet, Aurelius Victor, qui Traianum, in Epitome, refert fuiſſe ſtudioſum optimi cuiusque ac bellicoſi, magisque ſimpliciora ingenia, aut eruditiſſimos, quamquam ipſe parcae eſſet ſcientiae, dilexiſſe. In quo locupleti teſtimonio id vnum facile nobis ſuffecerit, literatos ab eo Principe inprimis eſſe dilectos, id quod pro iſtorum temporum ſtatu, alendis amplificandisque literis ſatis erat. Non poſſumus tamen non mirari iudicium Principis, meditationibus campeſtribus, non Philoſophicis, adſuefacti, qui et diſcernere mediocriter doctos a veris doctis valeat, et ſimpliciora ingenia, id eſt, naturae beneficio recta, anteponat iis, quae, inſtitutione non commoda, a naturali ſimplicitate non in melius, ſed in peius, ſunt

detor-

detorta. Iſta ſcilicet ſumma ac diuina Principis cuiusque, quam ſibi precibus exoptet, virtus eſt, diſcernendi animos hominum, atque optimum quemque, certis, tametſi non effandis, indiciis agnitum ſibi adiungendi: quo coeleſti dono ſi careat, quantumcunque caetera ſubditorum felicitati inuigilet, eaque in re perficienda impenſe laboret, fruſtra tamen erit, quippe idoneis promouendae publicae felicitatis inſtrumentis deſtitutus. Aſt qui, ipſe parum literatus, ex literatis nihilo ſecius praeſtantiſſimos agnoſcit, hunc in caeteris hominum generibus aeſtimandis multo minus falli poſſe, totumque in iudicando beatum, exiſtimes. Talis ergo cum fuerit Traianus, in hanc laudis partem ſi inflexiſſet ſuam orationem Plinius, quam pulchras, quam venuſtas, habituri eſſemus ſententias, literarum hinc dignitatem, hinc cum regnandi arte coniunctionem, hinc, ad nomen Principis conſecrandum, opportunitatem declarantes! Quidni enim iſtum in hac quoque orationis ſuae parte ſibi ſimilem, omnibusque poſthac natis oratoribus ſuperiorem, futurum fuiſſe exiſtimemus?

Is tamen locum laudis tam vberem, ſua-

ſuaque perſona minime indignum, quin etiam ex literis immortalitatem quaerenti prae caeteris patentem, recondito quidem, nec tamen, quod ſperare fas eſt, inepto conſilio, nusquam attigit. Neque ii ſumus, qui difficultatem, ancipitemque euentum, ignoremus explicandi cauſſas, rerum praeſertim, quae, cuiusque arbitrio gerendae, ſi male gerantur, imprudentiae ad ſummum poſſunt accuſari. In hoc tamen viro, quem per obliuionem, aut per inertiam, ſui Principis gloriam imminuiſſe, ne ſuſpicari quidem licet, ex ipſius Panegyricae orationis indole, cauſſam omiſſae partis non indignae, repeti poſſe non dubitamus. Eam ſibi ſcilicet dicendi videtur fixiſſe legem, vt nihil proferret ad laudem Principis, niſi quod cunctorum auditorum ſuffragiis magnum, atque excellens, haberetur. Ex quo genere intelligimus eſſe omnia ampliſſimae orationis iſtius membra. Et merito iſtam ſibi ſcriptam legem diligenter tuebatur. Cum enim Traianus, poſt tyrannidem ſatis longam, vniuerſam rempublicam recreaſſet, et a delatoribus, a caedibus, omnique rapinarum genere, liberaſſet; atque ob tanta beneficia in Senatum

tum populumque Romanum, tam breui tempore, congeſta, omnibus laudibus eſſet ſuperior; recte cauebatur a pio oratore, ne quod eius meritum, a rudioribus non vere aeſtimatum, et ipſum leue haberetur, et aequali caeterorum magnitudini detraheret. De literis autem conſtat, quam multi inter ipſos, qui literati appellantur, inique iudicent, multoque magis illiberalia ingenia, illis ſacris nunquam initiata. Huiusmodi metuens auditores Plinius, eximiam gloriae, ab ipſo Epitomatore rerum Traiani non omiſſam, partem omiſit, reipublicae quidem ſalutarem, ſed apud promiſcuam ſenatorum, et populi, multitudinem minus admirationis habituram.

Et habuit vtique Traianus ea in virtutum parte, Principes nonſolum ſeſe non inferiores, ſed et longe ſuperiores, praeſertim inter Principes Chriſtianos: apud quos cura publica eſt, ſicuti inter omnes gentes eſſe debebat, prouidere, vt quaelibet doctrinarum genera, per diuerſos gradus a pluribus exculta, tandem ad omnes ciues, ipſamque plebem, transmittantur, quo cuncti non quidem docti euadant, quod nemo optet aut deſideret, mitigati tamen pieta-

pietate, artibus, officiisque domeſticis ciuilibusque rite obeundis fiant pares. Quam diuinae mentis, quae orbi idoneos praebet doctores, atque Prophetas, imitationem cernere licet in SERENISSIMO PATRIAE NOSTRAE PATRE, ipſo Traiano, cum ob caeteras veras virtutes, tum eo nomine longe meliore, quod Academiae nouae conditor exiſtat: vnde dum maior indies doctorum virorum copia prodibit, coepit certe prodire, et religioni purioribusque ſacris, et humanitatis officiis, artibusque amplificandis ingens praeſidium in omne aeuum eſt comparatum. Tanti Principis celſiſſimum animum ſingulari pietate quotannis ſtato die colendum, quamquam colere nunquam deſiſtat, ſtatuit Academia Fridericiana Erlangenſis, ipſo die fauſtiſſimo natali PRINCIPIS ſui, in vota et gratiarum actiones effundi ſolita. Illius pietatis interpretem aget craſtino die Vir Illuſtris atque Conſultiſſimus, Andreas Elias Roſsmannus, Sereniſſimo a Conſiliis aulicis, Profeſſor Iuris et Hiſtoriarum Publicus ordinarius, praemiſſa oratione: de iure cogendi ad laetitiam publicam ciues. Ipſa res praeſentiam Illuſtriſſimi S. R. I. Comitis, Illuſtrium

ſtrium Baronum, ac Generoſiſſimorum nobiliſſimorumque Ciuium poſtulat. Omnes caeterum, ſua cuiusque dignitate conſpicuos, viros, plus diei celebritas, quam precum noſtrarum vis, commouebit. P. P. VII. Id. Mai. cIↄIↄ cc XLVIII.

VI.

DE MACROBIIS SEMEL IN VITA PARIENTIBVS.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS PRORECTOR CIVIBVS ACADEMICIS

S. D.

Grauiſſimi iam cauſſa luctus exiſtit, quae longum vitae ſuauiſſime degendae dilectiſſimo marito ſubſidium praeſtare potuiſſet, ANNA DOROTHEA ROSSMANNIA, multas mor-

te praematura ſuis afferens neceſſariis orbitates. Hanc ſemel in vita peperiſſe, in iſta connubii, ceterum auſpicatiſſimi, breuitate, foecunditatis laudem habet. Alias ſinguli foeminarum per vitam partus non multum diſtant a ſterilitate, et, ſi frequententur in aliqua gente, naturae miraculis annumerantur. Inter portenta enim integrarum gentium, in quibus ne fidem quidem ſuam obſtringere auſus eſt, refert Plinius H. N. Libr. VII. 2. in quadam gente Indiae foeminas ſemel in vita parere, genitosque confeſtim canescere. Infauſtam hic plerique ſtatim agnoſcant gignendi legem, vel potius legum copulam; ſiquidem binis ſpes gignendae prolis prematur malis, hinc raritate, hinc citatis ſenectutis inſignibus, in ipſis bimulis iam prodeuntibus. Autores rei inſolitae, et parum laetae, a Plinio excitantur Cteſias, et Agatharchides: quorum alteruter, aut vterque, nominatim compellauerat gentem Macrobiorum, geniturae minus proſperae memoria nobilitatam. Nec dubitare fas putamus, ſingulare quoddam in iſta gente ludibrium naturam ſibi, vt Plinius ait, feciſſe; quod in Commentarios hiſtoricorum

rum quodammodo meruerit referri: memores tamen Graeci moris, admirationi lectorum magis, quam veritati, inſeruiendi, in eam facile adducimur opinionem, vt ſuſpicemur, paulo aliter vim ſuam in Macrobiis exercuiſſe naturam, quam Plinius cognouerit ex ſcriptoribus Graecis, noſtri cognoſcant ex Plinio; partemque ſaltem miraculi naturae, partem ingenio ſcriptorum, verborumque ſtructurae, deberi. Nam qui vno commate bina portenta coniungit, et in altero fallaciam verborum nectit, hunc in altero quoque quidpiam ingenio dediſſe, nec ſummam veritatis rationem habuiſſe, facile credas. Genitos confeſtim caneſcentes qui legit, animo cogitat infantulos vtero vix excluſos, quorum coma ſubito, defluente natiuo colore, imbuatur ſenili canitie: ac ſibi idem vix temperat, quin rugas quoque, et cetera ſenectutis damna, in iisdem infantulis conſpicua cogitet. Iucundum quidem, et prope ridiculum, vagientis in cunis ſeniculi ſpectaculum; ſed quod ad veram naturae imaginem emendari nemo non velit, naturae ipſius, quam acutarum ſententiarum, ſtudioſior. Atque id facillimo fit negotio, ſi quis teneat,

inter Macrobios forte, infantes, praeter vicinarum gentium morem, albicantibus capillis naſci conſueuiſſe. Hoc quantum admirationis habeat, iam definiendum non putamus; certe, a Plinio narratum, plurimum habet admirationis. Is nempe *candidos* capillos in *canos* vertit, vſitata Latinis dicendi ratione: ſicuti paulo poſt *candidos* capillos appellat, quos *canos* vel aequo iure, vel meliori, dicere potuiſſet. Memorat enim gentem pariter Indicam, ducenos annos viuentem, in iuuentute candido capillo, qui in ſenectute nigreſcat. Qua notionum commutatione, vel potius confuſione, intellecta, ceſſat in infantibus Macrobiis ſenile caput; ceſſat id, quod, ceu maxime portentoſum, ipſe miratus eſſe videtur Plinius. Nam quod ad ſubitam comae metamorphoſin attinet, quam lectores permulti in verbis Plinii perſentiscant, et forte cum repentinis Galbae canis, Suetonio memoratis, conferant; hos, vim vocabulorum, praeſertim quae inchoatiua vocantur, non totam ſemper adhibendam eſſe, recordari volumus. Nam et is, qui canis iam vndique eſt oppletus, et cuius capilli diſtingui canis incipiunt, et quidquid deni-

denique ad canorum colorem quodammodo accedit, *caneſcere* non male dicitur. Natos itaque ab Indis albicantibus capillis infantes miretur, per nos, quisque, quantum placet, dummodo, verborum ambiguitate non deluſus, rem non aliam fingat, quam re ipſa contigiſſe videtur. Sed foeminae ſemel per vitam parientes, quarum bis mentionem facit Plinius, ſeu quod vna gens, ſeu quod binae, pluresque, iſto laborauerint morbo, vbi inter naturae miracula proferuntur, facile eam excitant in lectoribus notionem, quod omnes ac ſingulae eius gentis, earumue gentium, foeminae, fatali quadam lege, parciſſime, nec niſi vnica vice, pariant. Id quod ſi in populo contingeret aliquo, iſte diu durare non poſſet, niſi aut aliunde noua ſibi incrementa compararet, aut pleraeque vxores gemellos, et amplius, pariant; vt in eadem gente maximae ſimul et foecunditatis, et ſterilitatis, exemplum exiſteret. Nam ſiue ſingulae ducantur, ſiue plures, vxores, numerum tamen neceſſe eſt ciuium imminui, ſi plures ſemper ſint, qui gignant, quam qui gignantur. Itaque ſi ea Macrobiarum foeminarum fuiſſet na-

tura, ac fortuna, quam verba indicare videntur, annotaſſent quoque, certe annotare debuiſſent, Autores, quo pacto gentem ſuam, ſterilitate breui perituram, ſuſtinuerit iſta Indorum propago: qua narratione et fidem dictis maiorem conciliaſſent, et curioſos inſolitarum rerum lectores amplius pauiſſent. Iam vero in iſto ſilentio, prope turpi, et ignoratione praeſidii, quo aduerſus orbitatem gauiſi ſint, coniicere licet, ſterilitatem Macrobiarum talem fuiſſe, quae ciuium numerum certe mediocriter reliquerit integrum: idque potuit obtineri, ſi modo mariti paſſim binos, aut tres, ex vxore ſusceperunt liberos, plerisque vnius nati, nataeue, periculum ſubeuntibus. Triſte id quidem, et amplificandae genti inimicum, nec tamen ſic inſolitum, vt ad miracula naturae accedat, aut fidem aliquo modo ſuperet; niſi ita narretur, vt foeminae omnes ex vna formula peperiſſe cenſeantur: in quam ſententiam Plinius et a ſuis magiſtris Graecis adductus, et ſuos lectores, bona ipſorum gratia, adducere ſe poſſe arbitratus eſt. Quo quidem exemplo cognoſcimus, quid interſit inter ſeuerum naturae interpretem, nihil vltra

vltra laudis quaerentem, et doctorem phyſicum, elegantem magis, quam acrem: quorum iſte euentus a communi rerum naturae deflectentes ſic contuetur, vt eos, cauſſis inueſtigandis, reducat, quantum licet, ad conſuetum naturae ordinem; hic inuſitata, quaſi ornamenta ſuae doctrinae, dicendo augendoque reddit *lectoribus* illuſtriora, *artis cultoribus* obſcuriora. Neque eam artem ignorant vitarum ſcriptores, praeſertim ad homines illuſtres appliciti: qui paruis, nec tamen contemnendis, rebus extollendis, per ſe magnis in immenſum amplificandis, partem ſaepe veritatis, animo non malo, laedunt, crucem tamen ſeris rerum geſtarum cultoribus figunt, ne ex tot ornamentis, vel potius impedimentis, explicare nudam rerum veritatem facile poſſint. Sed iſta aſſentandi facilitas, obſequii, quin et humanitatis, cauſſa ſaepe neceſſaria, longiſſime abſit a tabulis, omnique teſtimoniorum publicorum genere! vtpote quibus ſua et ad docendum, et ad confirmandum, intemerata conſtare debet autoritas. Ad publicam, et inde perpetuam, laudem ſatis eſt enarratio virtutum, non ipſa hominum natura maiorum, diffi-

cilemque apud poſteros fidem merentium, ſed talium, quae viuis ad laudem, et praeclaram de iſtis exiſtimationem, quod plus ſatis felicitatis eſt, ſuffecerunt. Cuius legis memores, miſſis laudatoris, cui dicendi argumentum in ſpectatiſſima hac matrona deeſſe non poteſt, partibus, vitam ANNAE DOROTHEAE, nullis ornamentis auctam, ſtrictim, ad memoriae ſempiternae vſum, deſcribemus. Edita nempe eſt in lucem Curiae Variſcorum d. XXIX. Aug. anno huius ſeculi viceſimo tertio: parentibus commemorabili in filiam hanc vnicam pietate, Patre nempe Viro Praenobiliſſimo, atque meritis in patriam et rem publicam Clariſſimo, Domino IOANNE WILHELMO THECHIO, Sereniſſimo Marggrauio Brandenburgico Culmbacenſi a rerum bellicarum commiſſionibus, Metropoleos Curienſis Conſule ſeniore, et Quaeſtore; Matre ornatiſſima et ſpectatiſſima Matrona, MARIA MAGDALENA, gentis RHEINBATIAE. Parentes, poſtquam ſanctiori eam lauacro tingi curarunt, eo accuratius tenerrimam eius aetatem tuendam exiſtimarunt, quod iis a natura dotibus inſtructam intelligerent, quarum

rum incrementis in ornamentum ſui ſexus euadere ſuo tempore poſſet. Breui annorum ſerie inſtitutioni, tractandisque rebus et praeceptis par facta, mentis alacritate, artuumque agilitate, in obeundis cum venuſtate puellaribus officiis conſpicua, iucundam educandi operam parentibus multo reddidit iucundiorem. Adoleuit itaque in patria domo, exculta artibus, quae muliebrem ſexum decent, adſuefacta pietati, exemplo prudendiſſimae Matris ad tutandam rem familiarem erudita, variisque virtutum incrementis indies perpolita. Huiusmodi virginis exemplum, cum ſermonibus hominum, fortunae parentum fauentium paſſim celebraretur, mouit Virum Illuſtrem atque Excellentiſſimum, Dominum ANDREAM ELIAM ROSSMANNVM, Sereniſſimi Marggrauii Brandenburgici Culmbacenſis Conſiliarium Aulicum, nec non in Fridericiana Erlangenſi Profeſſorem Iuris et Hiſtoriarum Publicum Ordinarium, de Academia noſtra longe meritiſſimum; qui aptiſſimam ſe vitae ſociam conſecuturum recte ſperans, a parentibus, vt ea aeterno foedere ſibi iungeretur, impetrauit: res, ex omni parte

tam laeta, ſolemni ritu confecta eſt d. XV. Nouembr. cIↄ Iↄ cc xlvi. Elapſus eſt primus matrimonii annus ea celeritate, quam rerum ex voto vndique fluentium hilaritas fugaciſſimis addere ſolet dierum horarumque momentis. Vidiſſes ſummam animorum coniunctionem, mutua virtutum admiratione natam, mox laeta ſobolis expectatione confirmatam. Impleuit ſuauem coniugum ſpem proles maſcula, IOANNES WILHELMVS, d. XV. Sept. anni ſuperioris in lucem editus. Poſthac triſtiora felicitatem matrimonii, tam laetis auſpiciis inchoati, varie turbarunt. Ipſa Anna Dorothea, e puerperii labore, atque diſcrimine, non omnino ſalua euaſit, variis corporis incommodis, grauiora ſubinde minantibus, poſtmodum afflicta: eoque minus vulneri ex obitu nati ſui, quem die IX. Aprilis huius anni exſpirantem vidit, illaeſis corporis viribus tolerando par fuit. Infirmitate itaque iſta indies ingraueſcente, ad beatum obitum mentem, corporis vinculis ſoluendam, pie confirmauit, animumque Seruatori d. III. Iun. placide reddidit. Quantus, ex funere tam praematuro, dolor marito coniunctiſſimo, parenti-

rentibus optimis, natus ſit, nihil attinet, cum omnes per ſeſe intelligant, commemorare; leuamentum tantae cladis, in vario ſolatiorum genere quaerendum, vt ſummus afflictionum immittendarum, et mitigandarum, arbiter, conuulſae graui caſu vtrique Genti indulgere velit, nemo non, niſi ferreus, aut beatae noſtrae plane ignarus, exoptet. Reſtant iuſta exequiarum, hodie poſt meridiem hora II. in templo academico peragenda. Vt itaque funus in illo templo condendum, frequenti comitatu proſequi, memoriamque Matronae tot virtutum decoribus ornatae, ſacra oratione celebrandam ſtudioſe honorare velint, ACADEMIAE FRIDERICIANAE PATRES CIVESQVE, eo, quo par eſt, officio, rogamus atque inuitamus. P. P. a. d. VI. Iun.

cIↃ IↃ CCXLVIII.

VII. *DE*

VII.

DE
FENNIS,
AVTORE TACITO,
VOTIS OPVS NON HABENTIBVS.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS
PRO-RECTOR
CIVIBVS ACADEMICIS
S.

Gentem, Germanicam incertum, an Sarmaticam, memorat Tacitus, ſingulari felicitatis genere inclutam, Fennorum, qui difficillimam rem ſint conſecuti, vt illis *ne voto quidem opus eſſet. Germ.* c. XLVI. Gnarus nimirum mentis humanae excellens rerum Germanicarum ſcriptor, ancipitem votorum vidit naturam, ſollicitudine curiſque vix vnquam vacuam, perfectaeque tranquillitati, ſine qua felicitas eſſe conſummata non poteſt, aduerſam. Seu enim ampliora praeſentibus deſideras

ſideras bona, ſeu perpetuam ſaltem praeſentium poſſeſſionem vſumque anhelas, illic quaſi ſitim, hic metum, inſuauem vtrinque quandam mentis ſubeſſe agitationem, facile perſentiſcas. Coniuncta cum ſecuritate ſatietas illam demum efficit beatam vitam, qua in praeſentibus animus, excluſis votis, totus placide acquieſcit. Quam rem, cum difficillimam Tacitus arbitretur, veritatis, quam ingenii, ſtudioſior non ſolum difficillimam, ſed fabuloſam etiam, naturaeque vires dixerit excedentem. Vt ut enim reperias alicubi hominem, qui abundare fortunae ſibi videatur muneribus, nec quicquam nouae dotis appetentem; hunc tamen inprimis cernas ſtabilitatem fortunarum vehementer optare; niſi omnino is ſit, qui nec ſuis periculis, nec obuiis euerſarum opum vllam in partem moueatur exemplis. Quae ipſa ſecuritas, abundantiae bonorum implicita, ſi tandem in vnum et item alterum mortalium cadat, ea tamen nec conſtans, nec integrae genti, ac ne quidem potiori eius inſita poteſt eſſe parti. Quare miranda eſſet omni poſteritati Fennorum conditio, ſi aut vere, quod hiſtoria grauis ſpondere videtur, votorum

torum periculum non fecerint, aut ſi tanta bonorum vbertate, mentiſque continentia, floruerint, vt ſaltem quodammodo, et per aſſentationem, *votis ſuſcipiendis ſuperiores* dici potuiſſent. Neque etiam aliam ſupereſſe Hiſtorico honeſtam rationem plerique exiſtiment, quandam ſiue ſingulis hominibus, ſiue populis, laudem tribuendi, niſi aut vere narrando, aut aſſentando. Interim neutra arte vtitur Tacitus: tertiam ex alio genere adhibet, et quidem eam, quam, num grauem, et Annalium fidem etiam tum, cum Annales non ſcribit, ſectantem Hiſtoricum deceat, plures fortaſſe vehementer dubitent. Fallit is nimirum lectores non oratione falſa, ſed arguta notionum permutatione. Deſcribit enim Fennos tales, quales erant: nullis artibus, ne quidem ruſticis, excultos, non aliis ſubſidiis, aut opibus, vnde humanitas et vitae ſuauitas pendet, auctos. Fallaci autem ratiocinatione, ignorationem bonorum in abundantiam et ſatietatem vertit, et, ex feritate morum, inopiae iuncta, ſecuritatem gentis iſtius conflat. Vnde tandem conficit, quod ſummae, mortalibusque negatae, felicitatis compendium eſt, votis non indigere, id

in

in eos conuenire, qui a felicitate erant remotiſſimi; niſi forte eo beatiorem quemque praedicare velimus, quo longius a rationis cultura, ſenſuque humanitatis, receſſerit. Hoc num quid ſit aliud, quam in re ſeria ludere, definiant alii. Attamen elegantiſſimus autor, dum lectores dubia, et verſatili, felicitatis imagine ſuauiter fallit, veriſſimam ſimul ſubindicat ſententiam: eo magis opus eſſe cuique votis, quo laetioribus rebus fruitur, et ex voto fluentibus. Qui enim in praeſenti hilarioris fortunae curſu futura incrementa, quaſi ſponte oblata, videt, num is, quaeſo, ſibi temperet, quo minus ea optando captet, et in eorum occurſum ruat? idemque quo pluribus locis a fortuna ſe laedi poſſe intelligit, eo impenſius, vt propitiam ſemper habeat, ſi profanus ſit, inanibus, ſi pius et Chriſtianus, ſupplicibus contendet a Numine precibus.

Ad quam ſupremam optandi, votaque concipiendi, legem, ſi praeſentem ditionis Brandenburgicae Culmbacenſis ſtatum exigamus: nunc nobis maxime votis opus eſſe, niſi ipſe mentis noſtrae ſenſus nos doceret, optatiſſimum certe reipublicae tempus,

pus, illudque, quod in Sereniſſima Domo, in qua eſt imperium, paratur, negotium vrgens atque laetiſſimum, vel potius tripudium, nos admoneret. Fruitur SERENISSIMVS PATRIAE PATER cunctis diuinae munificentiae bonis, quibus Principes pii, ſubditorum amantes, ac prouidi, a ſupremo rerum moderatore ſolent cumulari: tantamque felicitatem participando auget, Ipſa per ſeſe felix, AVGVSTA PATRIAE MATER. Vtriusque PRINCIPIS potentia, qua clementiſſime vtuntur; vtriusque PRINCIPIS voluntate, cuiusuis digni fortunas adiuuandi et ſtabiliendi; vtriusque PRINCIPIS exemplo, et diuino more, nullius laetitiae inuidendi, tranquilla, tuta, laeta ſunt omnia. Atque his quidem bonis aſſidue fruimur, vtque ad ſeram vſque aetatem conſtanter fruamur, ardentiſſimis precibus optamus. Iſthoc vero tempore, quo PRINCIPVM noſtrorum cura ac gaudium dirigitur, eo noſtra quoque vnice intenditur pietas; nempe ad propagandam, votiſque firmandam, felicitatem SERENISSIMAE PRINCIPIS IVVENTVTIS AC DOMINAE, DOMINAE, ELISABETAE FRIDERICAE SOPHIAE, Dominae noſtrae clementiſſimae: in perpetuam, inquam, felicitatem

citatem Eius PRINCIPIS, quae ſplendidiſſimo pulchritudinis decore, quae virtutum a natura, et accurata Celſiſſimae Matris, ad Suum exemplum, inſtitutione inſitarum fulgore, quae ſuauiſſimo et Auguſto SPONSAE DVCALIS Titulo ſic floret, vt, ſi maior votorum neceſſitas a cumulo bonorum in vnum caput, eodem tempore, congeſtorum pendet, in hoc vtique rerum articulo impenſiſſima ac copioſiſſima, pro PRINCIPE NOSTRA IVVENTVTIS, vota ſint fundenda. Petiit, tot animi, tot corporis, dotibus incitatus, PRINCIPEM VIRGINEM FRIDERICAM HEROS WVRTENBERGICVS in Thalamum Ducalem: petitae iuſtiſſimo amore ac deſiderio flagrat: deſiderii impatientem morae, ex ornamentis, piget, quibus Nuptias, Celſiſſimas potentiorum Principum Germaniae Domus nouo foedere iuncturas, colluſtrari par eſt. Eam itaque vitae Suae, quam multo longiſſimam precamur, NOSTRA PRINCEPS IVVENTVTIS partem viuit, quae, iam iam multo iucundiſſima, iucundiorem tamen, ex iungenda dextrae SERENISSIMI SPONSI tenella dextra, proxime attingit, intereaque ampliſſimarum, ac plurimarum, gentium oculos in dilectam Superis Viraginem conuertit. Cuius

temporis momenta laetior adhuc dies diſtinguit, natae SERENISSIMAE PRINCIPIS memoriae ſacer, tertius Calendarum Septembris. Is facultatem nobis dat, partitione votorum facta, eam Numinis benignitatem ſigillatim venerandi, qua ex Auguſto Stemmate FILIAM PRINCIPEM naſci voluit, binis prouinciis tot gaudendi, multo pluribus tot admirandi, cauſſas breui praebituram, et iam iam, impleta ſpe, plaudentibusque Germaniae populis, abundanter praebentem. Non videntur iſtius pietatis partes ſine iuſtis publicisque peragi poſſe votis: quorum hac vice diſertum interpretem, dicta die, aget Vir Maxime Reuerendus atque Ampliſſimus, Ioannes Sigismundus Kripnerus, Logicae et Orientalium linguarum Profeſſor Publicus Ordinarius, Theologiae Extraordinarius, Collega noſter nobis coniunctiſſimus.

Ad quam laetitiam participandam Illuſtriſſimum S. R. I. Comitem, caeteros Generis ſui, et virtutum, ſplendore ſpectatiſſimos Ciues, aliosque literarum fautores libenter eſſe acceſſuros, iure noſtro, confidimus. P. P. Dom. XI. p. Trin. A. R. S. CIↃ IↃ CC XLVIII.

VIII. NON-

VIII.

NONNVLLA IN LAVDEM FRIDERICI,

MARCHIONIS BRANDENBVRGICI, etc. etc.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS

PRO-RECTOR

CIVIBVS ACADEMICIS

S.

Proluſio haec noſtra, auſpicatiſſimum PRINCIPIS NOSTRI indulgentiſſimi natalem, ſolemni ritu celebrandum, Vobis, CIVES OPTIMI, nunciatura, in Ipſius FRIDERICI verſabitur contemplatione; eoque libentius verſabitur, quo recentiorem ex nuperrima Eius praeſentia, vultuque, clementiſſimi pectoris indice, percepimus

pimus voluptatem. Imitetur noſtra ſcriptio elegantem Romanorum, Graecorumque, diligentiam, laudandis heroibus frequentiſſime occupatam. Cui quidem ſtudio, humanitatis pleniſſimo, tantum eſſe indulgendum illi putarunt, vt neque a priscis temporibus, neque ab ipſis exteris, quos vocabant barbaros, arceſſere dubitarint illuſtria virtutum exempla; ſaltem vt orationis, quae praedicandis efflorescit ſummorum virorum meritis, iuſta ſibi non deeſſet materia.

Nobis ſimilem incutit animi contentionem PRINCIPIS NOSTRI excellens ingenium, noſtraque in Auguſtum Academiae conditorem pietas; quorum illud ampliſſimas nobis praebet laudandi cauſſas, haec tacere nos, aut ſegniter Illius immortalitati operari, non ſinit. Neque tamen quisquam nunc a nobis expectet enumerationem, aut deſcriptionem, illarum maxumarum virtutum, quas, ceu publicae ſalutis vberrimum fontem, non niſi copioſa et affluente oratione tractandas eſſe arbitramur, nequaquam autem vnius tabulae, prae-

praefationiſque, anguſtiis includendas. Non iam enim aut de ſumma Eius ſapientia, aut de pietate, aut de clementia, aut de grauitate, admirabili comitate temperata, dicemus, ſed de vna ſaltem, et item altera, facultate, quam PRINCEPS NOSTER per ſummam mentis alacritatem, ab ineunte aetate, ſibi nullo negotio comparauit, deinde vſu confirmauit, denique identidem animi cauſſa, ſed magna cum ſpectantium admiratione, expromere conſueuit. Eſt autem hoc et capaciſſimi, et ad hilaritatem compoſiti, animi certiſſimum indicium, corporibus ad actionem comparatis, quae inſtrumenta vocantur, imperare poſſe: quippe quibus regendis, non tam membrorum vis ac mobilitas, quamquam et haec eſt neceſſaria, quam ingenii acris inſeruit vigor; qui ponderum, magnitudinum, temporis etiam atque ſpatiorum momentis minimis, ſubtiliter acuteque aeſtimandis, par ſit. Quam rem ſi tardior aggrediatur, magnam breuioris vitae partem vno inſtrumento

ſubigendo corrumpit, ſin triſtior, ideo nihil proficit, quod eum coepti cuiusque, niſi quod ad hominum forte iniurias pertineat, cito poenitet.

Sed inſtrumentorum ampliſſima et varia datur copia, vt, ad animum ſpectatorum relata, in tria commode diſtribuantur genera; armorum, quibus Muſica adiungimus organa; inſtrumentorum Mechanicorum; et inſtrumentorum Phyſicorum. Haec omnia quantum quisque calleat, modo non vno perſpicitur. Aptus et fortis armorum vſus in ipſa actione, cui praeſens ſis, neceſſe eſt, cognoſcitur: inſtrumenta Mechanica artificem peritum atque laudabilem in ipſo opere, iam effecto, maxime commonſtrant: inſtrumentorum Phyſicorum gnarum an teneas, ex ſermonibus, e cernendi cupiditate, e tentandi cura facile agnosces. Neque animus hominum, diuerſa iſta inſtrumentorum genera ad nutum arbitriumque tractantium, eandem vbique exerit vim, ſed diuerſa inſtructus eſſe debet dote. Nam inſtrumenta Phyſica vt quis calleat, praeter doctrinam, cognoſcen-

ſcendi cupiditas, vt vero feliciter tractet, quaedam amplius requiritur exercitatio: inſtrumenta Mechanica, in quibus ingenii laudi locus datur, hoc inprimis poſtulant, vt quod fieri velis, iam ante quaſi factum, atque oculis praeſens, animo cernas, id quod praeſtanti efficitur imaginatione, eamque imaginem inſtrumentorum ope transferas in materiam: arma denique et celeritatem, et, in celeritate, ſcopo non excidentem expoſcunt animum. Itaque quemadmodum anguſtum ingenium recte dixeris, quod, a doctrinarum vbertate alienum, vix unius capit inſtrumenti reconditas artes, aut certe vltra vnum inſtrumentorum genus non ſapit, ita magnam, e contrario, ingenii vim illi ineſſe non dubites, qui ex cuncto inſtrumentorum genere tractando cognoſcendoque, hinc conſequitur laudem, hinc maiorem, ſi vellet, conſequi facile poſſet.

Atqui talis eſt PRINCEPS NOSTER: quem, inſtrumenta ex omni enarrato genere tractantem, mirari non deſinas. Quam in rem, cum multa acrioris in omni re, quam perficiendam ſumit, ingenii indicia, et ope-

 ra,

ra, proferre liceret, nunc duo ſaltem, quae propius ad Academiam noſtram ſpectant, nec orationis ornamentis, quae promerebantur, commemorabimus amplificata. Illigata Codici Statutorum Academiae noſtrae haeret capſa argentea, firmum cerae, ſignum Legislatoris retinentis, munimentum, idque auro obductum: id vas, quouis Phidiae ſigno nobis longe charius, quisquis ſpectat, is elegantiſſime, et, quam maxime fieri poteſt, affabre tornatum, vltro profitetur. At illud ipſum manu clementiſſimi PRINCIPIS NOSTRI elaboratum ſcias; vt, quemadmodum ex argumento libri ſanctam Legislatoris, ac Conditoris, voluntatem, ſic, ex applicito Signi munimento, PRINCIPEM, et multifariae artis, et maximae indulgentiae pleniſſimum agnoſcas. Succedat alterum, illudque recentiſſimum, PRINCIPIS NOSTRI munus. Breuioris temporis, quo gratioſiſſima EIVS frui praeſentia nobis licuit, aliquam nihilo minus partem Phyſicis quaeſtionibus indulgendam putauit: quaeſtionibus, inquam, non quae ſermone aut diſputatione, ſed quae inſtrumentis admotis inſtituuntur.

tur. Muſeo itaque, HOFMANNI noſtri, ſplendorem tanti PRINCIPIS ſua ſponte inferre non dedignatus, eius Spectatoris illuſtriſſimum praebuit exemplum, quales ſi multi reperirentur, ſane doctrinarum incrementis plus ſatis eſſet cautum. Acceſſit enim ad iucunda iſta naturae ſpectacula FRIDERICVS, tanquam ad vſitatas, longoque ſibi pridem vſu cognitas dapes; vnde quod nullum taedium capiat, non minus, quam quod taedium nouitate quaeſtionum arcere cupiat, et ſcientiam rerum naturalium, quanta in Ipſo ſit, et acutum de rei cuiusque perfectione commonſtrat iudicium. Quae cum prolixius memorare nobis maxima voluptas foret, proluſionis tamen limites vela contrahere nos, atque ad indicanda anniuerſariae Orationis ſolemnia, craſtino die, hora conſueta, publico ſtudio celebranda, ſtilum transferre iubent. Etenim Collega noſter nobis coniunctiſſimus, Vir Summe Venerabilis, CASPARVS IACOBVS HVTHIVS, SS. Theologiae Doctor et Profeſſor Publicus Ordinarius, Parochiae Palaeopolitanae Paſtor, Gymnaſiorum illuſtrium,

Baruthini et Erlangenſis Scholarcha, ſolemnia pro incolumitate PRINCIPIS OPTIMI ſuſcipiet vota: ſimulque PRINCIPEM LEGVM DIVINAE POSITIONIS VNIVERSALIVM CVSTODEM, non ſine conſueto ſententiarum ac verborum pondere, demonſtrabit. Quam Panegyrin vt Illuſtriſſimi S. R. I. Comites, Illuſtres Barones, caeterique Generoſiſſimi ac Nobiliſſimi Ciues, quin et Hoſpites cuiusque dignitatis quam plurimi, frequentiſſima praeſentia ſtudioſe amplificent, eſt, quod in votis nos habere tabula hac duximus ſignificandum. P. P. VII. Id. Mai. A. R. S. cIↄIↄCCXLIX.

III. PHI-

III.

PHILOSOPHICA.

Digitized by Google

I.
INSTRVMENTA.

ILL. GYMNASII CASIMIRIANI
COBVRGENSIS
DIRECTOR ADIVNCTVS
CAETERIQVE
PROFESSORES
CIVIBVS SVIS
S. P.

Tametſi benigniſſimus orbis conditor terram noſtram iis copioſe inſtruxerit rebus, quibus maxime efficitur, vt vitae ſuauioris ſubſidia hominibus non deeſſent, mirabili tamen ſuae largitatis temperamento vſus, plus ſatis mortalibus facultatis reliquit, naturae bona, arte, et labo-

Digitized by Google

labore, multis amplificandi modis, et ad ſingulorum vtilitatem tam ſcite transferendi, vt ab ingenio natura nonnunquam ipſa vinci voluiſſe videatur. Sed iſta bonorum ſeges, quam ſibi quodammodo homines ipſi debent, lente ſuccreuiſſe videtur, quoad, praeter manuum ac digitorum articulos, quod ad res efficiendas nouas efferrent, nihil in promptu habuerunt. Poſteaquam vero *inſtrumentorum* vſus inualuit, incredibile dictu, quanta, breui, earum enata ſit rerum copia, quae ad vitae quotidianum vſum, ſuppellectilemque ſpectarent augendam. Quin quod maioribus iam adgrediendis operibus par factum hominum ingenium, altiora coepit ſubſtruere tecta; innatantia aequori fingere aedificia; immotas transferre huc, illuc, moles; informare duriſſima ſaxa; ſexcentas nouorum corporum inſtaurare naturas. Quarum ſummam rerum opportunitatem ſi nihil ad noſtram quis pertinere arbitretur felicitatem, is, niſi nouum quendam dolium verſantem nanciſcatur Diogenem, cui opinioni ſuae figmentum probet, vix reperiet. Apud omnes enim in confeſſo eſt, nec ſecuritatis, in tanta hominum multi-

multitudine, nec dignitatis, nec denique humanitatis, commodis locum dari, niſi ampla earum rerum, per quas iſta obtinentur, ſuppetat copia. Igitur cum ad felicitatem hominum augendam tanta ſit inſtrumentorum vis, qua ratione id ipſum *inſtrumenta*, quibus vtimur, praeſtent, non inanis inſtituitur a Philoſophis quaeſtio.

Sed in caeteris quidem rebus, quae ab vtilitate quandam habent commendationem, diſſitae ſunt quaeſtiones; quid ea ſit, quam laudamus, res? et vnde ſit, quod vſum nobis praeſtet? ſaepiusque accidit, vt cum illa iam eſt explanata, altera explicari nondum poſſit: inſtrumentorum autem ea ſingularis eſt natura, vt tota in vtilitate ponatur, nec multum interſit, vtrum quaeras, quid inſtrumenta ſint? an vero, cur proſint, et adiumentum afferant rebus perficiendis? Vtrumque igitur vna quidem, ſed difficiliori, opera ſoluere datur, ſi iuſta proponatur inſtrumenti *notio*, ſiue *definitio*. Quod ipſum longe efficeretur facilius, niſi, quod hic maxime neceſſarium eſt, dedocendi ante eſſent, verae doctrinae cupidi, quam docendi. Inſidet enim

enim plerisque antiqua quidem, et ſeculorum plurium, ſi quid valet, conſenſu confirmata explicatio: quod *inſtrumenta* ſint *res, quae propria vi deſtitutae, quicquid agunt, virtute entis alterius, quod ſuperius vocant, agant;* ac iam plane praeuidemus fore, vt inueteratam hanc eripi ſibi notionem aegre nonnulli patiantur. Sed quam in *veritate* maxime veneramur antiquitatem, ea, vbi de *definitionis* agitur *formula*, nihil afferre aduerſus veritatem autoritatis poteſt. Et ad concordiam veteris defenſores formulae, cum eo, a quo improbatur, reuocari poſſe videntur, ſi certa, vnde quaeſtionis omnis pendet ſolutio, principia conſtituantur. Ratum autem, ni fallimur, omnes Logicarum artium periti habent, *vulgarem* vocis *notionem* a Philoſopho ſtudioſe eſſe retinendam. Quin et illud in dubium nemo vocabit: eam definitionem, vnde earum rerum, quae ad definitum pertinent, nullam intelligere, aut explicare, queas, iuſtam eſſe non poſſe. Sed vtriusque vitii veterum definitionem ita ream agimus, vt definitionis fontes reperiamus nullos; quandoquidem nec vulgarem inſtrumentorum notionem exprimit; nec ita comparata eſt,

vt,

vt, quae ad laudem et commendationem eorum pertinent, vlla inde ratione intelligantur.

Inſtrumentis nempe, quae Graeci ὄργανα appellant, in officinis inprimis artifices vtuntur, et ita quidem, vt non omne corpus, quod adiumento ipſis eſt, inſtrumenti nomine honeſtent, ſed illud tantum, cuius ope corpus, quod inſtituunt, vel aptius, vel minori adhibita vi, vel breuiori temporis ſpatio, efficere poſſunt. Nec praetereundum putamus, quae nunc opera artis efficiuntur, ea iam olim cum inſtrumenta adhuc iſta eſſent ignota, effecta eſſe, ſed vel minus apte; vel grauiori, quam nunc, labore; vel certe maiore cum temporis diſpendio. Igitur duo hinc, quae ad vulgarem inſtrumenti notionem pertinent, *iudicia* formamus *intuitiua: alterum*, inſtrumentum eſſe medium perficiendi aliquod opus; *alterum* vero, id eſſe medium aptiſſimum, ad eius, quam exiſtere velis, rei exiſtentiam obtinendam. Quae duo ita notionem vulgarem exhauriunt, vt, ſi nihil aliud, quam perſpicua eius explicatio quaereretur, non dubitaremus inſtrumenta dicere *aptiſſimum rem ad exiſtentiam perducendi medium.*

Hinc quidem intelligere poſſumus *tralatum* huius vocis vſum. Quis enim eſt, qui ignoret ? eas corporis noſtri partes, quarum maxime ope res extra nos poſitas percipimus, *Organa ſenſoria* dici. Nempe quod oculis ad videndum, ad audiendum auribus, ad olfaciendum naribus, nihil vel fingere licet aptius, hinc ſenſationibus producendis deſtinatas corporis partes *Organa*, ſiue *Inſtrumenta*, commode vocitantur. Vtimur autem hic *Graeco* potius, quam *Latino*, vocabulo; quod *inſtrumenti*, latinae nempe *vocis*, notionem, diuturno falſae definitionis vſu, plane immutatam ſentiamus; quodque, ſi ad illas corporis partes, quibus ſentimus res extra nos poſitas, transferamus vulgatam iſtam notionem, inepta plane *inſtrumentorum ſenſoriorum* prodiret notio. Porro quod Logicam, et Ontologiam, *Philoſophiae inſtrumentalis* nomine ornauerint ſcholaſtici, id ipſis, non quod definitionis ſuae tenaces, ſed quod vulgaris notionis non omnino immemores, eſſent, imprudentibus excidit. Scilicet quid ſingulae artes caeteris adiumenti praeſtarent, minus quidem alte veteres perſpexerunt, id tamen eos non fugit, peculiarem vtriusque, quam nomi-

nominauimus, diſciplinae ſortem eſſe, vt iis neglectis, in caeteris addiſcendis, certe intimius cognoſcendis, fruſtra laboremus. Igitur, quod Logicae, et Ontologiae, praecepta aptum reddant intellectum ad cognoſcendas reliquas Philoſophiae partes; quódque notionum Ontologicarum ope caeterarum artium reconditae recludantur notiones; hinc ambae iunctim ſumtae barbaro quidem, ſed pleniſſimo laudis, vocabulo *diſciplinae inſtrumentales* appellantur.

Quisquis haec paulo ſecum reputat diligentius, facile deprehendit, nullum *notionis vulgaris* in veteri definitione extare veſtigium. Nec enim apparet, ecquod aut temporis, aut virium, obtineatur compendium, ſi ens vi actiua praeditum adſciſcat, ſibique adiungat, rem vi agendi deſtitutam, illique virium ſuarum partem liberaliter indulgeat. Definitio igitur id, quod ad naturam inſtrumentorum maxime pertinet, nec diſertis verbis ponit, nec ambitu ſuo omnino includit, ſed a vulgari notione omni ex parte recedit.

Nec eſt, quod antiquae defenſores formulae nobis obiiciant, ineſſe tamen inſtrumentis noſtris eam qualitatem, quod vi

ſibi inſita penitus careant, niſi aliquid virium ab eo, qui inſtrumento vtitur, accipiant, ac veluti mutuo ſumant. Id quod, etiamſi non vno modo ſuſpectum ſit, totum tamen nunc concedimus; ſed nihilo magis perſpicimus, quid iſta *impotentia* ad inſtrumenti definitionem pertineat. Vti enim *malleus* eſt ferrum; nec tamen *ferrum* ad naturam inſtrumenti pertinet; ita *defectus virium* non magis ad notionem inſtrumenti referendus videtur. *Inertia* haec eſt, et prope *vitium*, noſtrorum inſtrumentorum, non autem *natura*, vel vt Philoſophi loquuntur, *eſſentia*, in definitione explicanda.

Reſtat igitur, vt paulo ante propoſitam retineamus inſtrumenti explicationem, quod ſit *aptiſſimum rem quandam efficiendi medium*; quae tamen ita comparata eſt, vt rem ipſam, voce inſtrumenti denotatam, quidem complectatur; nondum tamen omnem eam praeſtet nobis vtilitatem, quae e veris definitionibus in veritatis inueſtigationem redundare ſolet. Etſi nempe, quid *aptum* dicatur, nemo ignoret, parum tamen adiumenti haec notio ad cognitionem philoſophicam affert, ideo quod nullibi reperiatur explicata, nec vllam, quod commune eſt notio-

notionum confuſarum vitium, formandarum concluſionum nobis det facultatem. Satius itaque putamus, aliam definitionis formulam condere, his verbis conceptam, quod *Inſtrumentum* ſit *res*, *in qua multa media reperiuntur coniuncta:* ſiue quod *cauſa inſtrumentalis* ſit *multitudo mediorum in vno*, ſcilicet *ente.* Inſtrumentum nimirum eſt *terminus*, vt vocant, *concretus:* quem cum ad diſſerendum non ſatis putarent veteres Philoſophi idoneum, *abſtractum terminum* confinxere *cauſae inſtrumentalis.* Vtriusque tamen termini notiones nihil differunt.

Ita vero commode, et, quod aiunt, *a priori* explicare licet, quae de inſtrumentis vel vulgo formantur, vel a Philoſophis recte commemorantur, iudicia. Inprimis enim quo pacto vel virium, vel temporis, compendium obtineatur, perſpicue patet. Sumimus nempe ad producendam aliquam rem *mediis* opus eſſe, quae aut in vno ente exiſtunt, aut diuiſa, et ſeiuncta. Iam vnum ens, quod nemo non videt, facilius moueri, regique, poteſt, quam plura, ſi eiusdem cum illo ſumantur eſſe naturae.

Quodſi igitur ens adſit, quod plurium vicem ſuſtineat, id, vt dirigatur, et ad vſum

transferatur, vtique minorem *virium* poſtulat facultatem, quam ſi plura eiusdem generis ad vſum eſſent transferenda. Nec minus *temporis* compendium vnde naſcatur, iam intelligi poteſt. *Plures* enim res ſimul tractare vix poſſumus: *Vna* res vero tota ſimul mouetur, et agitatur. Vnde fit, vt, ſi *media*, quae ante ſparſa, et ſeiuncta erant, in vno ente reperiantur coniuncta, ea vno temporis momento ad vſum transferantur. Sic plures *ſerrae* dentes, dum ſimul lignum mordent, multo id breuiori tempore in partes ſecatur, quam ſi vnico ſcalpro rem ageres.

Sed naturam inſtrumentorum corporeorum explicare *Mechanicae* doctrinae pars eſt; quae a *vecte*, tanquam ſimpliciſſimo inſtrumento, exorſa ad *rotarum* indolem explicandam progreditur. Sunt enim rotae, quia circa axin vertuntur, *infinita quaedam vectium ſeries.* Eadem diſciplina porro de *plano inclinato*, et *cuneo*, agit: ſed nimis cito ad *Machinarum* theoriam progreditur: cum inter illa prima principia, et Machinas, longa *inſtrumentorum ſimplicium* ſeries, qualia ſunt: *ſcalprum*, *ſerra*, *lima*, *culter*, *terebra*, *malleus*, *aſcia*, interponi poſſe videatur.

tur. His enim rebus omnibus cum et breui tempore, et minori vi, formae corporum mutantur, motusque producuntur; non apparet, cur non eadem diligentia omnium natura explicetur, qua nonnullarum indolem demonſtratam eſſe a viris doctiſſimis legimus.

Haec autem *Mechanica* inſtrumentorum *notio* ſaltem ſpecies eſt notionis *Metaphyſicae*, cuius definitionem dedimus; cuiusque eam ſaltem partem veteres perſpexerunt, quod inſtrumenta *cauſam* adhuc aliam, quam *ſuperiorem* vocarunt, requirant. Inſtrumentum quippe eſt, multitudo mediorum: Medium vero eſt id, per quod effectus quidam praeuiſus, et deſideratus, producitur. Inſtrumentum igitur certo adhibetur fine; finis vero non exiſtit, niſi in *ente intellectu praedito;* id quod *ſuperius* antiquiores vocarunt, illis nempe rebus, quae intellectu deſtituuntur. Fit tamen vt quis alio ente, intellectu non minus praedito, tanquam inſtrumento vtatur, ad effectum producendum. Nec enim male quis *legatum*, honoris cauſa, inſtrumentum reipublicae dicat. Quin *Paulus* in ſacris literis *inſtrumentum lectiſſimum*, ſiue *aptiſſimum* vocatur. *Act. IX.* 15.

Sed hanc ſpeciem cauſae inſtrumentalis, peculiari nomine *cauſae miniſterialis*, veteres Metaphyſici diſtinguendam a reliquis inſtrumentorum ſpeciebus conſultum putarunt.

Sed inſtrumentorum corporeorum, in quibus vera inſtrumenti notio luculentiſſime apparet, vis nullibi melius, quam in bello, conſpicitur; quod vt *armis*, *tormentisque*, geritur, ita innumera inſtrumentorum exempla nobis ſiſtit, quae et veram eorum notionem doceant, et antiquam definitionem conuellant. In armis enim, atque in tormentis, *molem*, et *inertiam*, nemo aut ſpectat, aut deſiderat; aptiſſimam contra ad laedendum e longinquo hoſtem, et ſubuertendos aggeres, naturam nemo non aut requirit, aut miratur. Eo autem res iam deducta eſt, vt naturam horum inſtrumentorum noſſe inſignem conſtituat doctrinae Mathematicae partem, quae, ſi modo *quantitatum doctrinis* notiones Metaphyſicae aliquid vtilitatis afferre poſſunt, e definitione noua hanc haud dubie capiet vtilitatem, vt, vbi de perfectione huius illiuſue inſtrumenti quaeritur, quo aciem animi intendere harum rerum curioſus debeat, ob-

ſcurum

ſcurum eſſe non poſſit. Huiusmodi autem ſubtiliorem diſquiſitionem nemo reputabit inutilem, aut ab vſu rei militaris alienam, qui, quanto doctrinae apparatu res noſtra aetate bellicae inſtruantur, e doctiſſimis huius generis libris ſaltem mediocriter intellexit.

Quam quidem eruditionis partem, cum inprimis promtum is deſideret ingenium, ſibi prae caeteris colendam ſumſit

FRIDERICVS ALBERTVS WILHELMVS MAXIMILIANVS RAISON,

Vinarienſis,

cum Parentis de Athenaeo noſtro optime meriti nomine, tum ſua doctrina, morumque humanitate, nobis commendatiſſimus; qui, peracto inter noſtros triennio, in celeberrimam Salanam Academiam diſceſſurus, pietatis, doctrinaeque, ſuae ſpecimen, oratione *de vſu literarum in re militari, futuro die Mercurii, bora II. pomer.* habenda, dabit; Veſtrae quidem, *Ciues*, frequentiae certus, *Patronorum* autem *Athenaei* noſtri honorificam, quam et nos deſideramus, praeſentiam non deſperans.

Inſtat praeterea, *Ciues dilectiſſimi*, tempus, quo doctrinae incrementa, quae elapſo ſe-

meſtri cepiſtis, ſpeciminibus editis publice probabitis. Dicatus enim eſt *examini vtriusque coetus* Gymnaſii noſtri *d. Non. et VIII. Id. Aprilis. Orationem cenſoriam die*, qui ſequitur, *Mercurii* audietis. Sequentibus diebus, more conſueto, *Schola* luſtrabitur *Senatoria.* Speciminis ſcripto exhibendi materiem *craſtino die* dabimus; ad quam excipiendam, quotquot noſtro coetui adſcripti ſunt, iuſto tempore confluant. *Alumnis explorandis* dies denique praeſtituetur. Quae omnia fore, vt ad excitandam, confirmandamque, Veſtram induſtriam, noſtrique Gymnaſii incrementum, tendant, eo certius ſperamus, quo enixius omnia noſtra conſilia, noſtrasque operas, ad Veſtram ſalutem, benedictione diuina freti, dirigere conſueuimus.

P. P. Domin. Laetare. A. R. S. MDCCXLV.

II. MA-

II. MACHINAE.

ILLVSTRIS GYMNASII CASIMIRIANI
DIRECTOR ADIVNCTVS
ET
PROFESSORES
RELIQVI
CIVIBVS SVIS
S. D.

Potiorem *inſtrumenti* laudem, vel totam, potius eius naturam, in eo a nobis poni meminiſtis, CIVES, quod aptiſſimum ſit rei cuiusdam producendae medium. Quae laus, tametſi eſt magna, non ita tamen inſtrumentis inhaeret propria, quin de ea participet alia quaedam rerum ſpecies, quam, Graecorum ſecuti autoritatem, MACHINAS appellamus. Hae enim, non minus atque inſtrumenta, toties comparantur, quoties aut magnum aliquod opus efficere, aut aliud quid, difficile magis, quam magnum, vti *motum aequabilem*, pro-

producere volumus: tantaque eſt machinae atque inſtrumenti, ſi effecta utriusque ſpectes, ſimilitudo, vt inſtrumenta a non paucis, quaſi ſint machinae, *machinae ſimplices* vocentur. Id quod minus recte fieri eo rectius putamus, quo minus praeter neceſſitatem termini ſunt multiplicandi. Monendos tamen potius, quam reprehendendos, ducimus, qui ab inſtrumentis machinas non ſatis diſtinguunt; ſiquidem non grauius peccare videntur, quam ii, qui ab *inſtrumendo medium*, quamquam differunt, nec cogitatione, nec ſermone, quod fieri par erat, ſeiungunt. Vtrinque nimia rerum diuerſarum ſimilitudo diſcrimen, quod eas intercedit, reddit obſcurius. Vos autem, *Ciues*, non eas ſolum res, quae toto, vt aiunt, coelo differunt, ſed eas quoque ipſas, quae ſimilitudine ſua plerosque fallunt, acute diſcernere volumus, ne, turbatis rerum notionibus, in iudicando aut haereatis, aut erretis.

Vti inſtrumenta ſolis opificibus olim nota, et vſurpata, Ontologi inuaſerunt, nouamque, et multo, quam illa vulgaris eſt, latiorem notionem effinxerunt, quae ad intelligendam et explicandam inſtrumentorum

torum mechanicorum, tanquam *ſpeciei*, naturam plurimum confert; ita machinae etiam notio vtique opificibus ſolum, et Architectis, olim fuit propria, ſed ſenſim paulatimque latior, et Ontologica, quaedam enata eſt notio, quae itidem Philoſophicae machinarum corporearum cognitioni illuſtrandae plurimnm inſeruit. Eſt nempe MACHINA, ſenſu Ontologico, *ſeries inſtrumentorum ſubordinatorum.* Ad quam definitionem rectius intelligendam, de inſtrumentis quasdam adnotationes videmus eſſe ſubiiciendas.

Vni nempe efficiendo operi non vnum ſaepius adhibendum eſt inſtrumentum. Sic enim trunco, quem manibus diſcerpere homo, quamuis validiſſimorum lacertorum, nequit, *cuneus*, aptiſſimum huic negotio admouetur inſtrumentum. Sed in cuneo, quod fabro lignario vſui ſit, praeter figuram *plani inclinati*, nihil deprehenditur. Nondum autem illa vis brachio digitisque hominis inſita diſtrahendo trunco ſufficit. Aliud igitur adhuc inſtrumentum, et virium compendium, nempe *malleus* ſubſidio ſumendum eſt: cuius denique coniuncta cum cuneo vi, tenacitas lignearum fibra-

ſibrarum vincitur. Adſunt duo hic inſtrumenta, ſed diſparis generis: quia alterum ſua *figura* ſolum, alterum *pondere* ſimul, et *figura*, prodeſt. Sed huiusmodi plurium inſtrumentorum coniunctionem, quia eſt momentanea, nec peculiare aliquod, et durabile, corpus efficit, fere negligunt in Compendiis Mechanici: ſuntque haec coniuncta ad momentum temporis inſtrumenta, quaſi *intermediae* notiones inter *inſtrumentum*, et *machinam*.

Nec ſimilium inſtrumentorum plurium coniunctio, ſi nihil vltra in *coniunctiones modo* notatu dignum ſeſe conſpiciendum offerat, magnopere Mechanicae doctores delectat. Molis inertiam ſubiecto *vecte*, pro huius longitudine, plus minusue ſuperari docent; nec prohibent, ne plures vectes, pluresque adhibeas manus; id tamen non docent, ſed ſenſui cuiusque communi concludendum relinquunt. Igitur ſi cogitata, et praecepta, Mechanicorum circa compoſitionem *inſtrumentorum*, ſiue circa *machinas*, vt loquuntur, *compoſitas* inſpicias, eos deprehendas de iis potiſſimum corporibus agere; 1. vbi plura inſtrumenta ita coniunguntur, vt haec, cohaerendo, vnum aliquod

quod corpus efficiant: vti de *rota*, quae infinitam ſeriem vectium refert: de *Polyſpaſto*, machinisque magis compoſitis, partim portatilibus, partim immobilibus; 2. vbi in partibus machinae, ſiue in inſtrumentis inter ſe coniunctis, aliqua *actionis diſparitas*, et *diſſimilitudo*, locum habet; quae in omnibus machinarum vulgarium, e. g. horologiorum, partibus facillimo negotio deprehenditur.

Quas machinarum affectiones ſi Philoſophicis, et fixae ſignificationis, vocabulis indicare velis, vix aptiora deprehendes, quam illa in definitione paulo ante data vſurpata. 1. Vox enim *ſeriei*, etſi non ſemper, et vbique, *cohaeſioni* aequiualet, hanc tamen, tanquam *ſpeciem*, ſub ſe comprehendit. Quare ſi cui nimis abſtracta videatur notio *machinae* noſtra, hanc quidem definitionis partem facile ad ſuum arbitrium finget, ſi dicat: *machinam* eſſe ſeriem inſtrumentorum ſubordinatorum cohaerentium. SERIES autem eſt *multitudo continua.* 2. Vox *ſubordinationis* id omne comprehendit, quicquid varietatis inſtrumentis machinam conſtituentibus ineſt, aut ineſſe poteſt.

Et

Et enim vox *ſubordinationis* non ſolum ſatis vſitata, ſed et eius poteſtas, ſiue notio, ſatis clara, et fixa, eſt. Sed quia definitioni rei tam illuſtris, nempe machinae, eadem hic infertur, digna eſt, cuius explicationem, aut, ſi fieri poteſt, definitionem demus. ORDO nempe, quod notiſſimum eſt, eſt *ſimilitudo obuia in modo, quo res ſibi inuicem coëxiſtunt, vel ſibi inuicem ſuccedunt* SVBORDINATIO vero eſt *ordo in incrementis, vel decrementis*, diuerſarum rerum: ſiue eſt *ordo graduum.* Vbi nempe res ſimul exiſtentes gradu alicuius qualitatis a ſe inuicem differunt, vt gradus continuo creſcant, aut reciproce decreſcant, ibi ſubordinatio locum habere dicitur. Et haec quidem graduum, vel magnitudinis, incrementa maxime quidem illuſtria ſunt in earum rerum exemplis, quae non niſi quantitate a ſe inuicem differunt; veluti ſi *ſtellarum* diuerſas magnitudines, earumque imagunculas in charta ſcriptas, vel depictas, conſpicias; vel ſi homines per lineam rectam diſpoſitos, quorum proceritas continuo minor eſt, contempleris. Negari tamen nequit, ordinem graduum nondum exhauriri vulgarem *ſubordinationis* notionem; ſed

ſed amplius requiri, vt illae res, quae ſunt ſubordinatae, ſint ſpecie diuerſae: hoc eſt, in *corporibus*, vt diuerſam figuram habeant: in *hominibus*, vt diuerſa munia, diuerſas dotes animi aut corporis, aut aliud quid, vnde hominum ſpecies conſtitui ſolent, *diuerſum* habeant. Neque enim inſolens quid eſt, vt res diuerſae formae, vel diuerſae ſpeciei, nihilo minus ob quandam ſimilitudinem, quoad quantitatem, inter ſe comparentur. Finge funali piceo *trium* pedum appoſitum eſſe cereum *duorum* pedum: et ad huius latus ſtare candelam ſebaceam *vnius* pedis; ſequi tandem cerei plicatilis portionem *dimidii* pedis: nonne haec corpora, maxime ſi ardeant, ſtatim inter ſeſe comparabis, et ſubordinationem quandam animaduertes? Sic etiam munia, et officia, quanquam ſint heterogenea, tamen, tanquam maiora et minora, inter ſe comparantur; vt Dux exercitus comparetur tribuno, habeaturque *maior* tribuno, etiamſi Ducis et tribuni officia ipſo *genere* differre plerique haud dubie arbitrentur.

Eſt itaque in inſtrumentis corporeis ſubordinatio, ſi haec ſint diuerſae formae: et ſi praeterea coniunctim agendo producant

 motus

motus diuerſae quantitatis. Sic cochlea rotam ſtellatam circumagens, *cochleam infinitam* conſtituit; cuius partes ſibi ſunt ſubordinatae. Cochlea enim et rota ſtellata diuerſam habent figuram: et quia, dum cochlea tota circumagitur, rota ſtellata non niſi per vnius dentis interuallum promouetur, diuerſa quoque motus quantitas adeſt; quae coniuncta ſubordinationi ſufficiunt. Sic etiam rotae plures, quotiescunque coniunguntur, ſemper eo artificio iunguntur, vt dum altera tota circa axin vertitur, altera ſaltem ex parte circumagatur. Vnde eſt, quod plurimae ſubordinationis ſpecies in rotis ſint poſſibiles. Habent autem rotae diuerſam *formam*, non ſolum, ſi altera pluribus dentibus, quam altera, ſit diſtincta: ſed etiam, ſi vel ſola magnitudine differant: ſiquidem ex vulgari *formae*, non illa ſcholaſtica, notione, ipſa magnitudo ad formam corporis cuiusque indiuidui pertinet; vt alio tempore oſtendetur.

Attamen definitio machinae, quam dedimus, quamque non niſi Ontologicas notiones continere volumus, ſi quibusdam propterea non ſatis apta rebus Mechanicis illuſtrandis videatur, ſciant hi eam certa, eaque

eaque facillima, ratione totam poſſe effici, et reddi, Mechanicam. Nempe ſi, pro notione *inſtrumenti*, ponas *inſtrumentum corporeum*, ſiue *vectem*, notio iam prodit machinae, quod ſit *ſeries vectium ſubordinatorum*: addere potes, ſi placet: *cohaerentium*. Quae formula, niſi nos omnia fallunt, exprimit machinae cuiusque *eſſentiam*, nihilque nimis abſtractum continet; ſed facultatem dat, cognita vectis natura, plurimas Machinarum ſpecies *a priori* cogitando effingendi.

Caeterum in vulgari machinae notione aliud adhuc quid comprehenditur, nempe *perdurabilitas*; quae omnino praetereunda non eſt, ſi iudiciorum, quae de machinis vulgo formantur, rationem reddere velimus. Iſta autem affectio ex eo oritur, quod vectes, quibus in machinis vtimur, ſunt corpora ſolida, quae, cui aptae ſunt actioni, eam non ſemel, ſed ſaepius, et per longum tempus, et quodammodo infinitis vicibus producere poſſunt. Vnde *motus continuus* in machinis locum habere poteſt, dum interea temporis vnaquaeque pars, ſiue vnumquodque inſtrumentum inibi comprehenſum, *idem* ſemper agit, ſimilique ſemper fungitur officio.

Ad hanc autem inprimis machinae conditionem ingenii aciem intendit, Vir laudibus noſtris maior, LEIBNITIVS, dum *Automati* notionem formauit, formatamque doctrinis Philoſophicis inferre allaborauit: cuius duae ſunt conditiones maxime conſpicuae: *altera*, quod mutationes continuas, ſiue motus continuos, producat: *altera*, quod principium ſuarum mutationum in ſe habeat. Continet igitur *Automatum* aliquam e machinae notione partem, ſed continet etiam aliquid, quod non in vulgaribus machinis omnibus deprehenditur, nempe *principium mutationum intrinſecum*. Dantur enim machinae, quae ſunt automata; vti *horologia minora*: ſunt quae aliena vi mouentur, vt molendina, et machinae omnes, quibus vtuntur Architecti. Quare a machinarum vulgarium quadam ſpecie Ontologicam notionem Automati *abſtrahendo* formauit Leibnitius, vti nos ab omnibus vulgaribus machinis *abſtrahendo* formauimus illam, quam dedimus *machinae* notionem.

Iam vero a machinis corporeis, earundemque mirandis effectis, iam dudum Graeci pariter, atque Latini, metaphoricam

cam quandam duxere ſignificationem, dum eum, qui multa arte facinus aliquod molitur, *machinari* quid dixere. Vix autem dubitandum eſt, in vulgari pariter, atque metaphorica, iſta machinae notione latere latiorem aliquam, quam *Ontologicam*, aut *Coſmologicam*, recte dixeris, notionem. Haec autem ea ipſa eſt, cuius definitionem dedimus. Sic enim pleraeque notiones abſtractae e ſermone metaphorico originem ſuam traxere: ſiquidem propria hinc, hinc metaphorica, notio duarum inſtar ſunt *ſpecierum*, vnde notionem *generis* formari poſſe, Logicae cultores, ſi quid aliud, habent exploratiſſimum.

Ad haec autem diſputanda nos adduxit *oratio valedictoria* de *Mechaniſmo Politico*, Ciuis noſtri, per triennium, inter noſtros multa cum humanitatis, et diligentiae, laude, verſati:

IOANNIS CHRISTIANI LINCK,

Tannenſis-Franci,

futuro *die Mercurii hora II. pomeridiana* publice habenda: quam honorifica ſua praeſentia Patroni et Fautores Collegii noſtri, pro vſitata ſua beneuolentia, vti quidem ſpe-

ramus, et optamus, honeſtabunt: quos hac eadem ſcriptione ad *Examinis autumnalis ſolemnia*, ea, qua par eſt, obſeruantia, inuitatos, conuocatosque eſſe volumus. Etenim *craſtino* die hora II. *Ciuibus publicis* ſpeciminis exhibendi materies dabitur; ad d. *IV. Non. Octobr.* eorundem incrementa doctrinae per elapſum ſemeſtre comparata *Examine publico* explorabimus: ſequentique *die Martis* Ciuium Paedagogicorum tentamen aggrediemur, et perficiemus. Sequetur, *die Mercurii*, Orationis cenſoriae grauis admonitio: caeterique hebdomadis dies luſtrandae *ſcholae Senatoriae* dabuntur. Vos itaque CIVES, quibus, quid quemque inter haec ſolemnia agere deceat, ignotum eſſe non poteſt, promptos vos, et alacres, his officii veſtri partibus explendis praeſtabitis, operam dantes, vt omni virtutum genere, ad quas vos inſtituere indefeſſa allaboramus opera, indies, diuina adnuente gratia, creſcatis feliciter. *P. P. e Tabula Caſimiriana, d. VI. Cal. Octobr. ſiue Dom. XV. p. Trin.*

CIↃ IↃ CCXLV.

(o)

III. TA-

III.

TABVLAE DOCVMENTA INSTRVMENTA.

ILLVSTRIS GYMNASII ACADEMICI
DIRECTOR ADIVNCTVS
CAETERIQVE
PROFESSORES
CIVIBVS SVIS
S. D.

Si verum eſt, quod nemo dubitat, intellectum noſtrum ad cognitionem veritatis, niſi ſaepius errare, et, quod omnes abhorrent, turpiter labi, velimus, praeceptis eſſe inſtruendum; minime ſuperuacua cenſeri poteſt cura circumſpiciendi eas, quibus vtimur, regulas, num ſufficiant ad verum vbique a falſo diſcernendum? an vero nonnullis nos in rebus deſtituant, et, captantes conſilium, inanes dimittant. Sunt autem duo veritatum genera, multum et cognitionis origine, et pro-

probandi modo, diſſidentium; alterum veritatum *vniuerſalium*, alterum *ſingularium*, ſiue *hiſtoricarum*: quarum *illae* e notionibus vniuerſalibus deducuntur; hae vero vel *ſenſu* percipiuntur, vel e *narratione*, et eorum *autoritate*, qui rem ſenſu perceperunt, nobis innoteſcunt. Vtrinque verum, ſola duce *natura*, haud raro arripimus; ſed multo certius adhibitis, quas ſequamur, iudicii noſtri regulis. Iam vero ſi illam, quae intellectum dirigit in cognoſcenda veritate, artem, Logicam innuo, inſpiciamus, Philoſophos facile patet, bene de hac arte, imo optime, meritos eam ſolum ſibi partem illuſtrandam ſumſiſſe, quae veritatum vniuerſalium indolem, genera et arcana, explanat; alteram autem, quae hiſtoricas veritates tractat, attigiſſe ſaltem leuiter, et multo imperfectiſſimam reliquiſſe. Si enim a definitione *teſtis* falſa; ab obſcura *autoritatis* notione; et a male digeſta *probabilitatis*, et *certitudinis moralis* theoria, recedas, nihil reperias traditum, quod ad iudicia de rebus geſtis formanda, totamque artem hiſtoricam, pertineat.

Nec mediocris difficultatis res eſt, eas notiones, quae ad hiſtoriam pertinent, inprimis

primis quae vulgo notae, et varie, vt fieri ſolet, immutatae, ac vagae, ſunt, ad *primam* ſuam *formam* reducere; certasque vocum, quibus iſtae indicantur, ſignificationes indagare. Id quod efficere ſi quis tamen velit, is perſpectum, et plane poſitum ante oculos, habere debet, quomodo res geſtae a primis *ſpectatoribus*, per ora virûm, ad remotos, et *diſſitos*; porro ad *poſteros* per *ſermonem*, per *tabulas*, per *monumenta* aenea, marmorea, alia, et per *reliquias*, propagetur: quomodo contra ab his vel *reliquiis*, vel *monumentis*, vel *tabulis*, vel *narrationibus*, ad ipſam *rei geſtae* cognitionem aſſurgere, ac plane peruenire; cognitamque aliis, vt ad certam *notitiam* adducantur, proponere, et confirmare, queamus.

Quae ſingula rei hiſtoricae capita cum plures continent nondum digeſtas notiones, tum illa, quae nunc eſt, et inde ab inuentis fuit literis, vſitatiſſima, res geſtas per SCRIPTVRAM propagandi ratio paulo accuratiori digna videtur contemplatione. Quae enim in hac re adhibentur voces, incerto omnes laborant ſignificatu; ſiquidem nunc ſcripturam, nunc tabulas, nunc

documenta, nunc inſtrumenta, dicimus, nec tamen ſatis notionum, quae ſingulis adhaerent, tenaces eſſe ſolemus, ſed alteram vocem alteri, *vi* vtriusque non ſatis aeſtimata, largiter ſubſtituimus. Quod vt aliquando fieri deſinat, certae ſcripturarum ad rem hiſtoricam ſpectantium *ſpecies* conſtituendae ſunt; quibus quomodo vſitata iſta vocabula aptari queant, minimi laboris erit ſcite diiudicare.

Id nempe certum eſt, ſcripturam omnem eſſe ſignum cogitationis cuiusdam noſtrae; quae quamuis ipſae ſint in *rerum*, *quae fiunt*, numero, eas tamen ſolum *ſcripturas* hic inquirimus, quae *rem* quandam indicant, et ſignificant, *geſtam*; voluntates nempe, actiones externas, effecta naturae. Et ſine dubio qui primi ſcripſerunt, non niſi ad res geſtas, aut certe ad voluntatem ſuam abſentibus ſignificandam, arte ſcribendi vſi ſunt; tabulas nempe accepti et expenſi conficiendo, leges figendo, iuſſa diſſitis hominibus perſcribendo: vt antiquiſſimae tabulae omnes ad rem hiſtoricam pertinerent; cum nunc plurimae quotidie impleantur chartae, in quibus hiſtoriae veſtigium omnino appareat nullum. Hic igitur ſolum *ſcripturas*

pturas ad hiſtoriam pertinentes conſideramus, easque omnes, *quomodocunque cognoſcendae demonſtrandaeque hiſtoriae inſeruiant*, TABVLAS appellamus. Non *nouas* autem hic forte fingimus, aut proponimus, tabulas, ſed veteri Latio notiſſimas tradimus, ſiquidem *ea omnis, quae rei geſtae quidpiam continebat, ſcriptura*, tabulae *olim* nomine ſignificabatur.

Sed tabulae diuerſi reperiuntur generis. Pleraeque ſunt extra ambitum hiſtoriae, quam commemorant, ſitae. Sic enim omnia, quae alicubi publice fiunt, primum per literas familiares amicis ſpectatorum ſignificantur: mox, noſtro certe more, relationibus publicis latiſſime ſparguntur. Sed vtriusque generis tabulae nihil ad ipſam rem geſtam pertinent, tantum abeſt, vt ad earum integritatem requirantur. Huiusmodi enim Scripturae, etſi coronationem Regis, vel Imperatoris; natiuitatem, vel obitum, Principis; nuptias illuſtres, comitari et ſequi ſoleant, ad *conſequentias* tamen ſingularum rerum iſtarum potius, quam ad *res ipſas*, referri debent. Inter eas autem tabulas, quae negotia iam confecta, et perfecta, ſequi ſolent, hinc *acta* eminent, ſeu narrationes rerum in iudicio, aut in quacun-

cunque ſocietate publicae autoritatis partem habente, geſtarum, huius ipſius iuſſu ſcriptae: hinc *Commentarii*: et *annales*, qui ſunt narrationes rerum geſtarum, ab hominibus doctis adornati in vtilitatem poſteritatis.

Sed pleraque, certe paulo grauioris momenti, aut quae inter abſentes tractantur, negotia, non conficiuntur, niſi intercedente literarum vſu, ita, vt negotia ipſa magna ex parte tabulis contineantur. Nec enim praediorum emtiones, et venditiones fieri ſolent, niſi perſcriptis eam in rem tabulis, iisque autoritate magiſtratus, dominique directi, confirmandis: nec officio publico quis admouetur, niſi literis, et tabulis, vocatus: neque teſtamenta, ipſa nuncupatiua, conduntur, niſi intercedente ſcriptura: nec aes alienum, certe grandius, contrahitur, quin ſcripta debiti confeſſio creditori detur: nec pax inter Principes initur, aut firmatur, niſi confecto pacis inſtrumento. In quibus negotiis omnibus tabulae ipſae *partem hiſtoriae* conſtituunt: vnde fit, vt ſi huius generis quidpiam factum eſſe feratur, nec tamen vllae exiſtant tabulae, neque etiam interierint,

id

id certiſſimo ſit indicio, rem ipſam *factam*, certe *confectam*, nunquam eſſe. Quare dantur *tabulae*, quae ipſius hiſtoriae, quam nos condocent, pars ſint. Quas quidem DOCVMENTA vulgo vocare ſolemus; non quod reliquae tabulae, quae huius generis non ſunt, nunquam eadem voce appellentur, nempe aut per abuſum, aut per errorem, aut per negligentiam; ſed quod illae tabulae, quas definiuimus, *per eminentiam* nomine *documentorum* compellentur. Nihil quidem attinet epocham huius ſignificationis, priſcis Latinis ignotae, indagare, id tamen coniectura aſſequi licet, eos, qui tabulas ſuas in iudicium ad probandam cauſam attulerunt, a ſingulari, quam ipſis ineſſe putabant, *docendi*, ſiue *probandi*, *vi*, honoris cauſa documenta vocitaſſe. Cum enim is, qui cauſae ſuae probationem inſtruit, eam, ſi poſſet, totam ante oculos iudicum exponeret, et in conſpectum proferret; quia id non poteſt, iis maxime rebus gaudet, quae ex ipſo negotio ſolae ſupereſſe ſolent, nempe tabulis, in iisque maximum cauſae ſuae ponit praeſidium. Ceſſant nempe in hoc tabularum, quas documenta vocamus,

camus, genere, illae, quibus reliquae ſcripturae laborant, quaeſtiones, et ſuſpiciones; quis autor ſcripturae ſit? num bona omnino fide ſcripſerit? deceptusne fortaſſe ſit? aut per libidinem aliquid finxerit? Nam in negotiis per ſcripturam geſtis, et autor incertus eſſe non poteſt; nec luſui locus datur, et fingendi facultas abeſt. Denique *quicquid e documentis depromitur, e media cauſa, & negotio ipſo, depromtum eſt.*

Sed inuenta eſt quaedam *documentorum ſpecies*, caeteras tantum vi probandi vincens, quantum documenta praeſtant vulgaribus tabulis. Iam dudum nempe vſu Principum, iudiciorumque, probatum eſt, vt grauiora negotia non conficiantur, niſi adornato INSTVMENTO, hoc eſt, niſi perſcripta *totius rei breui hiſtoria, eaque publica quadam autoritate firmata.* Ita teſtamenta conficiuntur adſcito iudice, qui breui commentario, quem regiſtraturam vocant, totius negotii ſummam, easque hiſtoriae partes, quas ſcire eorum, ad quos haereditas pertinet, aliorumque intereſt, complectatur. Quae eadem, quamuis paulo diuerſa hiſtoriae formula, peragit Notarius. Sic

pacis

pacis inſtrumentum breuis eſt totius pacis firmatae hiſtoria, ſubſcriptis Principum nominibus ſummam fidem conſecuta. Nemo autem non ſummam horum inſtrumentorum nullo negotio intelligit vtilitatem; in eo partim poſitam, quod totum negotium *demonſtrent*, adeoque *plurimorum documentorum vice fungantur:* partim ob autoritatem publicam, quae iſti tabularum generi ſummam conciliat fidem. Sic enim inſtrumenta omnem documentorum vſum, qui cum aliqua rationis ſpecie deſiderari poteſt, complectuntur.

Sic in vſum rei quidem hiſtoricae *ſpecies* ſcripturarum recte conſtituuntur: *voces* autem ſingulis ſignificandis a nobis deſtinatae, cum antiquas, quam nouas, adhibere ſatius videatur, nec ab vſu loquendi plane recedunt, nec eidem omnino conſentiunt. Documenta enim, et inſtrumenta, mox promiſcue, tanquam Synonyma adhibentur; mox ſingulari, et diuerſo, ſignificatu ſumuntur. Et inſtrumentum quidem iam dudum incertam habuit ſignificationem, ſiquidem VLPIANO autore: *inſtrumentorum appellatione, quae comprehendantur, perquam difficile erit ſeparare: l. 99. §. 1. ff.*

de

de verborum ſignific. PAVLO porro autore: *inſtrumentorum nomine ea omnia accipienda ſunt, quibus cauſa inſtrui poteſt: ideo tam teſtimonia, quam perſonae, inſtrumentorum loco habentur. l. 1. ff. de fide inſtrum.* Nunc vero nemo facile *teſtes* inſtrumentis annumeret. Si vero eorum hominum, qui nunc in foro et iudiciis verſantur, voces audias, intelliges, ne quidem omne tabularum genus *inſtrumentorum* nomine compellari, ſed hoc, vbi latiſſime patet, cum documentis permiſceri: ac ne quidem omnia documenta inſtrumentorum vocabulo ornari, ſed haec ſingulari quodam ſenſu ſumi, quem antea definitione explicatum exhibuimus. Eiusmodi autem formulam dedimus, quae leges ciuiles de inſtrumentis conficiendis praecipiunt, vt in aliis iamiam rebus plurimis factum eſt, ad *rationes* ſuas *naturales* reuocanda. Nec inanis eſſet diſquiſitio, *inſtrumenta*, cum ſint breuis rei geſtae hiſtoria, *quomodo ſint conficienda*, vt omnia contineant, quae ad negotium, ſi forte in iudicium adducatur, diiudicandum, probandumque, ſint neceſſaria? id quod ſine aliqua artis hiſtoricae cognitione intelligi non poteſt. Huiusmodi enim res etſi vel

ex

ex formula agi, vel vſu addiſci, optime poſſe vulgo videantur; ſecus tamen ſentiunt veri eruditionis aeſtimatores, qui nulla in re ingenium rectius exerceri, nec praecepta vberiora dari poſſe putant, quam in rebus iis, vt prudenter gerantur, demonſtrandis, vnde hominum ſaepe vita, ac ſalus, pendet.

Multiplici enim doctrina opus habet, qui ita vitae inſtituit ſuae rationes, vt olim aut de iure reſpondeat, aut cauſas defendat, aut iis rebus gerendis operam det, quae, niſi rite fiunt, pro non factis habentur; nec mediocris ingenii promptitudo comparanda eſt efficiendi prudenter ea, quae regulis, legibus, et formulis comprehenſa nondum ſunt, fraudi tamen, niſi caueas, innocentibus eſſe poſſunt. Ad hoc autem vitae futurae decus inter noſtros hucusque inſtitutus eſt

IOANNES GOTTLOB FRIDERICVS SCHMID,

Coburgenſis,

nunc ad Themidis arcana penitus cognoſcenda in celeberrimam Academiam Ienenſem diſceſſurus: qui, vti a Parente, dignitate, et familia bene conſtituta, maxime conſpicuo, omnia, quae iuuenem literis conſecratum decent, officia ſtrenue obire di-

dicit, ita vrbi patriae ante abitum pie valedicet, praemiſſa *oratione de vera rerum fungibilium, et non fungibilium, definitione, hodie, a ſacris Mauritianis, habenda.* Vos igitur, *Ciues*, quos nullam diſcendi, humanitatemque veſtram demonſtrandi, praetermittere decet occaſionem, ad audiendum Commilitonem, amicitiae iure, et virtutis exemplo, vobis coniunctiſſimum, confluetis, et ex ipſa abeuntis laude diſcetis, quantae dignitatis res ſit, ad Academica ſtudia animum ſic afferre praeparatum, vt omni doctrinae genere refertum, et locupletatum reportare, idque longe ante ſperare ipſi, queatis; ſperandique cauſam patronis, praeceptoribus, familiae quisque ſuae, ampliſſimam detis. *P. P. Domin. Quaſimodog. A. R. S. MDCCXLV.*

IV. PRA-

IV.
PRAXIS.

ILLVSTRIS GYMNASII CASIMIRIANI
COBVRGENSIS
DIRECTOR ADIVNCTVS
CAETERIQVE
PROFESSORES
CIVIBVS SVIS
S. P.

Omnis, qua ab ineunte aetate imbuimur, doctrina, niſi cuius mature nos poeniteat, apta ad Praxin eſſe debet, et vndique accommodata. Hac quippe lege ſuauiſſimo fruimur luminis vſu, vt quisque, niſi aut fame perire, aut ingloriam ducere vitam, velit, ſimulac firmatas aetate, vſuque, animi facultates experitur, inter continua vitam ducere negotia neceſſe habeat. Cuius ſiue beneficii a natura dati, ſiue oneris, merentibus haud dubie, impoſiti, cauſae ſunt perobſcurae, niſi, quid Praxis illa ſit? intelligamus, quae victum, opes, autoritatem, ampliſſimam quando-

que nominis ſamam nobis largitur; infinitis tamen ſimul curis, periculis, et ſudoribus, nos immergit; et, ſi non inclamare nonnunquam, certe ingemiſcere ſaepius, iniectis partim, partim deſideratis, vinculis cogit.

Vitae nimirum ea noſtrae eſt ratio, vt duplici mutationum, et effectorum, genere ſeſe exerat, COGITATIONE; et ACTIONE: quarum illa intra mentem perficitur, nec, quamdiu libera eſt, ſtatum corporis quietum vlla ratione interpellat; haec vero, e cogitatione vtique, et voluntate, oriunda, foras erumpit, et per ſermonem, aut eas corporis partes, quae apprehendendis rebus nos ambientibus conſecratae ſunt, ad alias res pertingit, easdemque mutat, transformat, regit. Attamen ipſa *cogitatio* indolem *actionis* habet, ſiquando ita intenditur, vt corporis noſtri motiones, et perturbationes, menti ingratae inde oriantur.

Vtraque vero et cogitatio, et actio, niſi imperium accedat, aut quaedam cogitandi agendique neceſſitas, animae alternis vicibus, voluptati eſt. Longioris enim cogitationis taedium abſtergit *actio*, et laſſatum ex actione corpus reficit *cogitatio*. Vtrumque

que contra moleſtiae hominibus eſſe poteſt, poſt neſcio an ingenio inuenta, an ex natura ſponte nata, NEGOTIA. Quo nomine nobis veniunt *actiones compoſitae*, *quarum partes*, hoc eſt, ſingulas actiones, quae totum conficiunt nêgotium, *non ſatis praeuidemus;* quarumque inprimis aditum, atque exitum, ignoramus. Vnde fit, vt vires, ſuſcepto nouo negotio, praeter morem, intendamus, et ancipiti euentu periclitemur. Id quod tamen ipſum ſuaue eſt, dummodo in aliqua re, quam libenter tractes, virium capias experimentum; niſi quod adiunctam omni negotio quandam ſentias curam, et ſollicitudinem, quam ipſa tamen cognoſcendi euentus cupiditas, et *gratia nouitatis*, ne moleſta fiat, facile temperat.

Sed, iratum haud dubie, Numen, quae quondam fuere negotia, triſtiſſima Metamorphoſi, in LABORES vertit. In eo nempe rerum noſtrarum ſtatu deprehendimur, vt quotidie negotia nobis obtrudantur, vel ob iniuriam corporis metuenda; aut noſtris cuiusque cupiditatibus inimica; aut viribus noſtris, vel ob rei magnitudinem, vel ob anguſtiam temporis, aperte maiora. In horum quid-

piam quotieſcunque incidas, hoc opus, hic *labor* eſt. Sic vero atra *praecedere* cura negotia, *comitari* taedium, laſſitudo et dolor *ſequi* coepit. Hinc turpiter ſe in gerendis negotiis dare, pericula et damna ſibi conſciſcere, ſui ipſius poenitere, quotidiano homines vſu didicerunt.

Mortales autem, quis dubitet, ſuae huius calamitatis ſibi nimis conſcios, circumſpexiſſe mox ſuorum malorum medelam, et leuamen laborum cupidiſſime quaeſiuiſſe? Et ſubuenit omnino natura, vel ſummus potius moderator orbis, ingraueſcenti indies laborum moli; dum homines excitauit, quorum pars, excogitatis *inſtrumentis*, affabre factis, *nouis* veluti debilitatum hominum corpus augerent *viribus;* pars, *Artibus* inuentis, et *Theoriis*, in compendium redigerent genera laborum numero fere infinita. Nec enim deſtituit euentus tam ardua auſos.

Extant nimirum inde a multis ſeculis negotiorum genera, aptis praeceptis comprehenſa, vt quisque, dum per iuuenilem corporis, animique, infirmitatem nondum aptus eſt negotiis, quae ſibi immineant negotia et labores, mature perdiſcere, iisque idoneum

ſe

ſe reddere ſuſtinendis poſſit. Fuere igitur homines, qui, miſſa laborum mole, qua homines vulgo omnes premebantur, toti ſe ad *Theorias*, hoc eſt; negotiorum et laborum contemplationem, conuertere, et, ab actione, ad cogitationem ſe transferre, niterentur. Sed, quaſi hanc inuideret natura ab acerbis laboribus immunitatem, vix paucis tam bene eſſe indulſit, quin ad negotia inuiti, egeſtate, vi, ſuorum autoritate, retraherentur. Si qui tamen multo propoſiti tenaciores exſtitere, nouum, et peculiare laborum, vt labores effugerent, genus ſibi finxere, ſuſcepto negotioſiſſimo *homines docendi* munere. Id quod quantum generi humano attulerit vtilitatis, nemo eſt, qui ignoret.

Certum autem eſt, duo laborum exſtitiſſe ab eo tempore genera: alterum vitae theoreticae, vel philoſophicae; alterum *praxeos* nomine honeſtatum. PRAXIN autem dicimus, *latiori quidem ſenſu* ſumtam, *continuam quandam laborum ſimilium ſeriem;* ſtrictiori autem ſenſu: *ſeriem laborum vnius generis, cuius Theoria proſtat.* E qua *definitione* facile et damna vitae practicae cognoſcas, et emolumenta. Et in *laudibus* quidem

commemoratur, quod ab otio inhoneſto longiſſime abſit; quod quotidiana experientia magis magisque erudiat, et prope perfectum reddat, in eo negotiorum genere, quod quisque exercendo vitam tranſigit; quod denique, ſi negotium nobis ſumamus vtile, nullo tempore humano generi *palam* prodeſſe deſiſtamus; vnde ſit, vt ampliſſima, et certa, ſequantur practicos homines praemia. At qui vitae practicae vſu impliciti ſunt, *damna* eius memorare ſolent, nimiam curarum et moleſtiarum molem; temporis anguſtiam; negatam ſibi ad contemplandas res diuinas, atque humanas, neceſſariam quietem. Quae quidem querelae, cum malorum exprimantur, minime confictorum, ſenſu, hominem ſuae ſibi vitae iter deſcribentem facile inducerent, vt vitam praeoptaret theoreticam, niſi haec, vti dictum eſt, non *otium*, ſed falſiſſimam *otii* porrigeret *ſpeciem*. Quo ſit, vt quisque de vitae, quod inſtituat, genere, conſilia agitans, et in biuio vitae theoreticae, negotioſaeque, conſtitutus, non illam, quae fama, et nomine, otii ſe commendat, ſi quidem prudens ſit; ſed quam ſuo ingenio,

nio, humeriſque, maxime accomodatam ſentit, eligat vitae rationem.

Sed cum tantum in eo vitae feliciter agendae momenti ſitum ſit, vt eam quiſque praxin faciat ſuam, cui inprimis ſuſtinendae eſt idoneus; ad eamque ſe mature inſtruat, et ſuum informet ingenium, aut informari a rei peritis curet; quis non videt, Moralis doctrinae non poſtremam eſſe partem, de his rebus praecipere? et, ſine quo illud fieri recte nequit, notiones huc ſpectantes in ordinem redigere, aptisque definitionibus explicare? Eſt autem ſeries notionum huc pertinentium: *actionis; negotii; laboris; praxis;* ita comparata, vt vna alterius naturam ingrediatur, eamque, adiecto quodam *incremento*, ſeu vt Logicae Doctores loqui amant, adiecta noua *determinatione*, conſtituat. NEGOTIVM quippe eſt *actionum turba*: LABOR porro *negotium moleſtum*, aut ſi hoc durius dictum videatur; *negotium graue*: PRAXIS denique *laborum ſimilium ſeries.* De quibus rebus cum ſileant rerum moralium ſcriptores, a veſtro, *Ciues*, commodo minime alienum putamus, haec non quidem fuſius explicare, et conclu-

 ſioni-

ſionibus augere, ſed ampliſſimae ſaltem tra-ctationis principia breuiter monſtrare.

Iſta nempe praxis *notio* latiſſime patet, necdum ea continet, vnde commoda vitae praecepta deducere liceat; niſi certae formentur *ſpecies*, ex ipſo negotiorum, et laborum, diſcrimine deductae; quae propius nos adducant ad definiendi facultatem, quae ad praxin vel prudenter faciant *eligendam*, vel ad eam laudabiliter *ſuſtinendam*. *Negotia* autem ipſa, aut ſi rem altius velimus repetere, *actiones*, ingens, et varium, diſcrimen intercedit. *Nonnulla* enim ſunt, in quibus nihil, niſi corporis motus, aut vis, ſpectatur; ſunt *alia*, in quibus ratione, et doctrina opus eſt, quae tamen e *formulae* ita fiunt praeſcripto, vt id ſecutus errare, et labi, non poſſit: ſunt *porro*, quae non ad formulam exiguntur, ſed ingenium deſiderant ad id, quid hic, et nunc, agendum ſit? itemque quid deceat, quid conducat? inueniendum: dantur *etiam* negotia illuſtria, quae, quod ad plurium vtilitatem pertinent, plurimorum oculos in ſe conuertunt: ſunt *denique*, quae audaciam deſiderant, ob periculum vel vitae, vel fortunarum, ſibi adhaerens. Quas ſpecies nego-

negotiorum ſi aptis, breuitatis cauſa, vocibus indicare velis, primi generis negotia, *ſeruilia*; ſecundi, *liberalia*; tertii, *docta;* quarti, *illuſtria;* vltimi, *fortia;* (niſi quod hoc magis factis, quam negotiis, conueniat,) recte dixeris. Accedunt in republica negotia *mercenaria* partim, quorum pretium certum leges definiunt; partim *quaeſtuoſa*, quibus amplum vel leges, vel opiniones hominum, ſtatuerunt pretium; partim denique, *honoraria;* quae incerta comitantur praemia. Sed vnumquodque horum generum in multos *gradus* diſtinctum eſſe et *vſus* docet, et *a priori* intelligitur.

Sic conſtituta negotiorum ſerie, facile eſt longum enarrare ordinem *ſpecierum* vitae practicae; vt quisque fortunas ſuas, quoad id a conſiliis hominum pendet, ſibi conſtituens, per optionem decernere poſſit, vtrum ex omnibus prudenter ſectetur. Is enim, cui vires corporis integrae, ingenium pingue, et lentum eſt, ILLIBERALEM PRAXIN non erubeſcat, quae, *quamuis ſeruilia negotia tractet*, honeſtatem tamen minime laedit. Alius, qui ad elementa doctrinarum capienda ſatis firmum ſentit animum, ſed memoria magis, quam ratione, validum, animum

mum recte ad PRAXIN INGENVAM applicet, quae in *negotiis liberalibus quidem, ſed e formula conficiendis*, *verſatur:* ſi cuius verſare animus doctrinas, et earum veritatum comparare, amet, is ad PRAXIN DOCTAM ſe accingat, quae *actiones* prima ſpecie *ſimiles*, ſed recte inſpectas, *in infinitas ſpecies diuiſas*, complectitur: qualis eſt *Iuriſconſultorum*, et *Medicorum* praxis; niſi eorum, qui ex formula magis, quam e rationis praeceptis, oblatas cauſas tractant, corporisque infirmates emendare audent. Qui gloriae deſiderio vrgetur, eoque honeſto; *negotiorum illuſtrium*, quae PRAXIN ILLVSTREM efficiunt, facultatem, in aulis praeſertim Principum, quaerat. Qui autem periculorum cogitatione non percellitur, illi facultas non deerit, *aut in bello*, *aut in negotiis publicis cum diſcrimine coniunctis*, PRAXIN HEROICAM exercendi. Porphyrogennetas, et Principes, PRAXIS AVGVSTA decet, *quae quicquid praxis illuſtris*, *et heroica*, *ſublime continet*, *id omne complectitur.*

Sed in omni *praxi*, de cuius rationibus multa adhuc praecipi poſſent, *negotium* quoddam, et *actio* requiritur, quae non ficta, ſed naturae hominum conſona, atque acco-

accommodata, hoc eſt, Philoſophorum ſtilo, *poſſibilis* atque *realis* eſt. Id quod ſi quis putet a nemine, vel mediocriter rerum perito, aut ignorari, aut negligi poſſe, is *hiſtoriam* adeat *philoſophicam*, vbi homines ad *vanam praxin conuerſos*, vel certe huius criminis accuſatos, reperiat non paucos. Quis enim ignorat Stoicos, qui ſoli nonnullis viſi ſunt eſſe *Philoſophi*, *ſapientem*, vnaque *ſapientiam* quandam, ſibi finxiſſe, quam hominis naturam excedere, vel quod dicunt, *impoſſibilem eſſe*, plurimi arbitrati ſunt. Iſtud quidem conuicium ZENO iam audiuit: iſtud SENECA, quandoquidem refutare annititur, expertus eſt: iſtud noſtra aetate non pauci, et inter hos *longe celeberrimus*, et *S. V.* IACOBVS BRVCKERVS, magno doctrinae apparatu inſtaurarunt. Nec tamen hactenus res iſta geſta eſt, vt omnibus cauſa cecidiſſe Stoici, et ineptiarum iam damnati eſſe, videantur. Ea certa res

IOANNI AVGVSTINO MEYERO,

Saliſundano,

ad ampliorem literarum ſedem abitum paranti, cauſam differendi dabit, dum *hodie*, *finitis ſacris pomeridianis*, apta oratione *in argumen-*

ſunt dies, eos omnes in cogitatione Principis, nuper noſtri, iam diui, conſumſimus; pia recolentes memoria, quam multarum, quam excellentium, virtutum domicilio exequiae eſſent parandae. Qua in meditatione tametſi animo noſtro multae laudatiſſimorum Principum ſint oblatae imagines,quibuscum comparareChriſtianumErneſtum neque huius gloria indignum, neque a more colendi poſt fata optimos Principes alienum foret, tam ſingularem tamen in hoc Principe cernimus virtutum copulam, vt eum poſteritati potius, pro exemplo, ad imitandum proponendum, quam ad antiqui cuiusdam, quantumuis boni, Principis exemplum eſſe intelligamus. Nihil enim opus eſt, vt iſte aliorum laude illuſtretur, qui vnumquemque, quem imitandum ſibi ſumſit, longe virtutum magnitudine ſuperauit. Arcemus itaque opera data animum a priſcorum heroum memoria, in quam cogitatio Principis, vt amiſſum iam lugendi, nos, vel inuitos, identidem abripit. Excellentem potius praeſto nobis eſſe cupimus veterum ſcriptorum prudentiam, qua difficillimam dignas bono

princi-

principe, ſententias proferendi artem feliciter ſunt aſſecuti; iſtorum certe lumina non ad augendas, ſed ad diſcernendas eloquendasque, Chriſtiani Erneſti laudes ſubſidio nobis putamus eſſe ſumenda.

Satiſne ad gloriam Noſtri Principis poſteritati commendandam valet? ſi ſacro Eius buſto compendium hoc ampliſſimarum laudum inſcribatur: ita eum acceſſiſſe ad regendas prouincias, vt nihil diſcendum habuerit, tempore docendi. Id ipſum nempe prudentiſſimus caſtiſſimusque laudator PLINIVS de Traiano, ceu illuſtrem rariſſimamque dotem, praedicat. „Ita e„giſti Tribunum, inquit, vt eſſe ſtatim „Dux poſſes, nihilque diſcendum habe„res, tempore docendi„: et paulo ante praemonuiſſe eum fortunam docet, „vt diu „penitusque perdiſceret, quae mox praeci„pere deberet.„ Panegyr. cap. XV. Magnum haud dubie doctorum decus eſt, quod Principibus, Ducibusque, officii ſimilitudine aliqua coniungantur: ſed nec celſa Principis dignitate, ſi Plinio ſua conſtat fides, eſt indignum, cum doctoris perſona comparari. Subleſtum id quidem, et intempeſtiue dictum, nonnullis forte videa-

tur, qui e doctoribus non niſi infimos, vmbratilesque, atque in his non niſi ſudorem, egeſtatem, adductam frontem, ſpectare conſueuerunt. Sed non ad has vel hominum labes, vel ordinis calamitates, ſed in veras doctorum virtutes, intorquenda eſt animi acies, vt animaduertas ea, quae aut ſimilem doctori principem, aut amabilem principi doctorem, reddere poſſunt. Quid nempe eſt docere? niſi mentes hominum ad arbitrium ſuum, ad virtutem tamen, ad omne intellectus et voluntatis decus inſtituere, talesque, quales eſſe quamplurimos reipublicae expedit, ciues fingere. Qua ratione duplicem ſuſtinet perſonam doctor aeque illuſtrem, atque venerandam; alteram, dum artem, quam docet, perfecte callet; alteram, dum ea gaudet animi facultate, qua homines in ſuorum pertrahit praeceptorum obſequium. Neque enim dubitare licet, ineſſe ſublimiorem quandam, ſed reconditam, in iis viris animi vim, qui ita in admirationem ſummos, medios, infimos, praeceptis ſuis rapiunt, vt hi nomen ipſum a praeceptore ducere ſibi ducant honori. Sed vtraque harum rerum, in quibus ſummam ponimus

nimus doctoris laudem, tantum abeſt, vt Principe ſit indigna, vt celſiſſimo potius fortunae gradui videatur eſſe aptiſſima. Ducem bellicum in Traiano ſiſtit Plinius perfectum, qui nihil diſcendum habeat tempore docendi. Docet igitur exercitus rector: dum nempe ſummam ſuſtinet rei militaris curam; dum armorum ingenium, et vſum, callet, et emendat; dum ad meditationem, quam Plinius vocat campeſtrem, milites adiungit, omnique modo ſeriis reddit conflictationibus idoneos; dum denique regionum ſitus, opportunitates locorum, artesque omnes bellicas ita perſpectas habet, vt in conſultationibus, quo quidque modo gerendum ſit, non voluntate magis et imperio, quam prudentia et ratione, doceat definiatque. Quod ſi vero in eo Principis munere, quod a litteris, et docendi ratione, vulgo habetur disiunctiſſimum, nihilo ſecius docendi prouinciae locus datur, quanto minus a Principe alienum doctoris nomen iudicare debemus, qui in ſanctiori cubiculo ſubditorum fortunas opesque auguſto pectore librat, ſcribendoque leges, ac condendis collegiis, et ſodalitatibus, nunc ſuopte motu, nunc

reſcriptis, firmat. Hunc enim dubites docere iuſtitiam? qui implicatiſſimas quasque cauſſas, contrariis inſuper iudicum impeditas ſententiis, non ex formula, ſed accurato dirimit aequitatis ſenſu: hunc docere mercaturae feliciter exercendae artem? qui mercium exportandarum atque inferendarum impedimenta tollit, facultatem comparat, modum deſcribit: hunc docere religionem? qui miniſtrorum et doctorum numerum, reditusque, amplitudini, et opibus, reipublicae attemperat; quique profanos mores, pariter ac inſulſam ſuperſtitionem, reprimit: hunc docere rei familiaris regendae prudentiam? qui patrum familias, ſeruitiorum, haereditatum, connubiorum iura conſtituit. Haec quippe cuncta qui non vi agit, nec ad ſuas cupiditates, ſed ad publicam vtilitatem, exigit, is non tam imperare videtur, quam minus rerum gnaris momenta cauſſarum, et veras vtilitates, docte demonſtrare; tanto tamen efficacius imperat, quo minus vtitur ex lubidine imperio. Iam colligat quis celſa haec doctrinarum genera, eaque aut partiendo, aut plura adiiciendo, quantum poteſt, augeat; et ſic ſe demum ad beatiſ-

ſimi

ſimi noſtri Principis laudes intelligendas non male paratum accedere credat. Militarium rerum peritiam ſi quis, praeſenti Europae fortuna admonitus, primum quaerat, is eam in Chriſtiano Erneſto tanto maiorem fuiſſe ſciat, quo maturius ad cognoſcendam caſtrorum acceſſit diſciplinam. In quo doctrinae genere quanquam tantum profecerat iuuenis, vt nihil habiturus eſſet diſcendum tempore docendi, id tamen poſt aliquot miſſum fecit annos; intelligens forte praeſaga futuri mente, fore, vt confirmata ſua et virilis aetas, maximeque rebus gerendis idonea, in ea incideret tempora, quibus, pacatis nempe per plura luſtra omnibus Europae partibus, nihil magnopere opus futurum eſſet virtute militari, quam omnino, iſto tam longo otio, in ſummis quibusdam imperatoribus ferme obtritam fuiſſe meminimus. Totus itaque poſthac incubuit amplificandis iſtis virtutibus, quas, cum a Parente, Diuo IOANNE ERNESTO, et a ſanctiſſimo Auo, ERNESTO PIO, haberet inſitas, vſui ſibi fore intelligebat, ad propagandam prouinciarum felicitatem, qua ſub vtroque Diuo parente quam maxima, et prope incredi-

bili, gauiſae erant. Diſcendis autem rebus tam arduis ſatis amplum nactus eſt tempus ex longaeua, et exoptatiſſima, Diui IOANNIS ERNESTI vita; quem dum haud minus, quam quilibet frugi filius parentem, imo eo magis, quod principis intelligebat ſe eſſe filium, coluit, ſpectando Parentem, ſpectando Parentis facta, nil niſi iuſtitiae, pietatis, clementiae, amoris in ſubditos ſpecimina ſpectando, talis factus eſt, qualem ſemper vidit ſuum eſſe Sereniſſimum Genitorem. Ex quo itaque tempore, vna cum Sereniſſimo Fratre, Domino FRANCISCO IOSIA, Domino noſtro clementiſſimo, cum quo nunquam in gratiam rediit, paternas prouincincias regendas ſuſcepit, id quod anno contigit huius ſeculi viceſimo nono, nihil earum rerum praetermiſit, quae ad tuendam Nominis Erneſtini Auguſtam dignitatem pertinerent. Vidiſſes in Hoc Principem, qui ad Diui exemplum Aui, quo nihil cogitari poteſt perfectius, ita exerceret iuſtitiam, frugalitatem, liberalitatem, vt mitiſſimis praeceptis, legibusque, facile ſuos cuiusuis ordinis ſubditos in priſtino virtutum, et felicitatum, curſu retineret. Quae tam ardua, et

magna,

magna, ſi quem videas Principem tam abunde, nullo fere negotio, conſequi, huic tu minime dubites ad perfectam imperandi artem nihil diſcendum ſupereſſe. Is tamen ex omni genere doctrinarum, quae Principis Chriſtiani decent perſonam, nullam magis in laudibus ſuis commemorari voluit, quam eam, quae ſalutis aeternae conſequendae occultam, ni patefacta verbo diuino eſſet, monſtrat rationem. Iſtam non auido ſolum hauſit pectore, ſed etiam, ne vlla forte eius pars, aliquamdiu neglecta, in animo obliteraretur, nocturno verſauit diurnoque ſtudio; nec doctoris ſalutiferae doctrinae nomen ſuſtinere erubuiſſet, niſi ſacras Principis circa rem diuinam curas non ſingulorum, et paucorum, ſalute procuranda obtundendas, ſed ad vniuerſam omnium felicitatem acuendas meminiſſet. Adiuuit itaque, et excitauit, digna Principe ratione, ſacerdotum omniumque doctorum ſtudia, coetumque ſanctiorem, cui imperauit, pulchrioribus baſilicis, miniſtros autem diuini verbi largioribus ſtipendiis, tantum auxit, quantum hinc res poſcere viſa eſt, hinc Genitoris, Auique, in

easdem res impenſa induſtria Ipſi reliquerat perficiendum. Cuius pietatis fructum cum iam inter coelites vberrimum ferat Chriſtianus Erneſtus, nos in pientiſſimum Principem nihilo ſegnius pios eſſe decet, operamque dare, vt in ipſis Gymnaſii Caſimiriani faſtis tam excellentis Principis memoriam reperiat conſecratam poſteritas. Quo quidem conſilio conſtitutum habemus, futuro die Mercurii, Oratione Panegyrica, interprete Directore Adiuncto, Ioanne Martino Chladenio, manibus Diui Principis publicum ponere mentis deuotiſſimae monumentum: cuius teſtes cunctos Aulae Vrbisque ſplendidiſſimos, ampliſſimosque, proceres affuturos haud temere ſperamus. Sereniſſimis autem PRINCIPIBVS IVVENTVTIS ac DOMINIS, Domino CHRISTIANO FRANCISCO, et Domino FRIDERICO IOSIAE, DVCIBVS SAXONIAE, reliqua, Dominis noſtris clementiſſimis, vt gratioſiſſima ſua praeſentia luctum Diuo Patruo a nobis praeſtandum et decorare, et lenire, placeat, eo minus flagitare dubitamus, quo certius eſt, nullo nos poſſe, hac quidem tempeſtate, maiori beneficio recrea-

recreari. Vos denique, Ciues, ad participandum acerbum pietatis officium omnes ac ſingulos confluere volumus, et, officii cauſſa, ſerio iubemus. P. P. Dom. XVIII. p. Trin. cIↄ Iↄ CCXLV.

VI.
MONVMENTA IN SPECIES DISTRIBVTA.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO-RECTOR
VNA CVM PROCANCELLARIO ET SENATV
CIVIBVS ACADEMICIS
S.

Propagandae ad poſteros hominum, rerumque geſtarum, memoriae vti monumenta deſtinantur, conſecrantur, ſic omnem cuiusuis monumenti dignitatem in eius *perpetuitate*, vel, quod mallent homines, aeternitate eſſe poſitam, verus

quisque rerum aeſtimator pro comperto habere debet. Antiquiſſimos, ſuſpicio eſt, mortalium minus fuiſſe de obliuionis remediis ſollicitos, vtpote qui et longaeuos habuerunt praeclare a ſe factorum teſtes, et ipſi, diutiſſime viuendo, rerum ſuarum conſcientia, et longa recordatione, abunde ſatiabantur. Contractis poſthac vitae ſpatiis, de protrahenda poſt praematuram mortem memoria, natae ſunt curae; credo non tam in eorum gratiam, a quibus poſt fata celebrari quisque geſtiebat, ſed ſui cauſſa, vt, aliqua veluti ex parte ſibi ſuperſtes, viueret adhuc, cum viuere deſiiſſet. Nam et illi, qui bene merito monumentum parant, id agunt, vt, memoriae nomine, eius quaſi vitam efficiant, quam fieri poteſt, multo longiſſimam. Non mediocris autem difficultatis molitio eſt, relinquere velle quidpiam ex nobis natum, quod vicem noſtri gerat, et poſteros, in praeſentia contuenda defixos, abducat ad curioſam praeteritorum cogitationem: eandemque ſollicitudinem ſubit, qui, pietate, vel alio quodam officio, excitatus, alterius memoriam cupit reddere ſempiternam. Duas iſti rei, quae munere monumenti

funga-

ſungatur, dotes ineſſe neceſſe eſt; *perennitatem*, et *monendi vim*: quorum alterutrum ſi deſit, fallax illud, non verum, monumentum eſſe poteſt. Sed veram perennitatem ſperare quam paucis in rebus liceat, caduca plus ſatis nos commonefacit rerum natura. In lapidibus, et aere, quae eſt aetatem ferendi ſpes, aeternae memoriae anxium vix ſatis confirmet; cum nimis ſint multa vtrique iſti corporum generi infeſta, quae vel e conſpectu hominum ea ſummoueant, vel conſumant. Emendarunt proinde nonnunquam homines naturae vitium artificioſa mole, temporis edacitatem aut exſatiatura, aut ſuperatura; vnde Aegyptiacae Pyramides, hisque interpoſita Sphinx, atque Coloſſi. Neque enim audiendi videntur, qui, Plinio H. N. Lib. XXXVI. c. XII. memorante, non memoriae infinitae ſtudium, ſed alias portentoſa iſta humani ingenii opera faciendi, tradidere cauſſas, ne ſcilicet pecuniam ſucceſſoribus, aut aemulis inſidiantibus, praeberent, aut ne plebs eſſet otioſa. Et viciſſe videntur naturam Memphitici Reges aeternitate ſuarum ſubſtructionum; aeterno tamen iidem carent monu-

monumento, quod iſtae moles nullam *monendi* de autore tantorum operum habent facultatem. Atque id genus monumentorum, quae, cum ipſa aetatem ferant, autorem tamen non commonſtrant, ſi modo iſthoc nomine ſatis ſunt digna, non male dixeris MVTVM. Sed perennitatem non ſola caementa, et aera, ſed multa quoque hominum inſtituta habent; ea nempe, quae ſimilium generatio interire non patitur. Quo quidem gentem referas ex quoque pronatam, ciuitates conditas, artes inuentas, ſcripta; quae hinc in poſteris, hinc in cultoribus, hinc in exemplis deſcribendo augeri ſolitis, ſpem continent aeternitatis; quaeque tamen omnia poſſunt eſſe muta, niſi dent autores operam, vt in procreatis a ſe rebus haereant ſui nominis, ac perſonae ſuae, indicia. FOECVNDA interim appellare liceat huius indolis monumenta: quae, tametſi ipſa quoque aeternitatis ſpem fallere queant, ampliorem tamen ſpem praebent, quam pleraque monumenta SINGVLARIA, ab vno grauiore caſu, ni fortuna inſigniter faueat, delenda. In comparanda autem monumentorum dignitate, non caſus, quem praeſtare nemo poteſt,

teſt,ſed naturae habenda eſt ratio;videndumque, quid memoriam hominis memorandi, ſi mediocriter ſaltem fortuna faueat, reddere poſſit maxime longam. Sed foecunditati monumentorum ſingulare ſubſidium attulerunt typographi, quorum ars, quanta celeritate infinitam gignat exemplorum ſimilium copiam, notiſſimum eſt: eamque gignendi vim in ſuam tranſtulerunt rem Chalcographi, ipſis pictoribus hac in re ſuperiores, quod foecundiſſimas fingunt, nec tamen minus venuſtas, rerum hominumque imagines. Aucta itaque ſunt, duplici iſta arte, monumentorum genera, et ita quidem aucta, vt multo maior in nouis aeternitatis ſpes, quam in priſcis quibusuis ponenda generibus videatur.

Cuncta autem cum monendi aliquam vim debeant continere; eam omnem, niſi a litteris, vnde habere queant, vix intelligas. Eius ſcilicet hominis ſupereſſe memoria iudicatur, cuius hinc nomen, hinc aetatem, hinc quas terras illuſtrarit, cuiusque preclarum aliquod factum, tenemus. His quippe rebus vir viro, heroe heros, poſt fata diſcernitur; eoque clarior eſt,

atque

atque illuſtrior cuiusque memoria, quo luculentius, et explicatius de iſtis poſteritati conſtat vitae momentis. Sed quaelibet earũm rerum, quarum recordatione viuere poſt fata licet, niſi litteris expreſſae, vindicari ab obliuione non poſſunt. Itaque quantumcunque tandem aliquod monumentum ſit, aut quantamcunque ſpem faciat perennitatis, niſi accedant litterae, veluti interpretes et monitores, actum eſt de eius, cuius monumentum eſſe debebat, memoria. Sic enim paſſim reperias ſtatuas, quas vocitare ſolent Rolandinas, memoriae quidem haud dubie cauſſa, in mediis vrbibus, ipſoque foro, collocatas, ſed, quoniam litterae non acceſſerunt, mutas, eiusque ſpem, qui poſuit, miſere fallentes.

Quanto melius memoriae aeternae inſeruiunt *numi;* qui, ex quouis aeris genere conflati, multis modis commodum exhibent monumentum. Aeris, argenti praeſertim, auriue ingenium ſpondet perennitatem: liquida inter fundendum, vel certe flammis mitigata, materies facile recipit impreſſam cuiusque hominis formam, vt poſt

poſt ſecula, quod difficillimum eſt, vultum agnoſcere viri liceat. Venuſtatem conciliat mediocris monumenti magnitudo, vt vel digito, per luſum, geſtare, et loco quantumuis anguſto recondere queas. Foecunditas ſi non in numo, certe in typo, eſt; qui commiſſam ſuae tenacitati imaginem, vel infinitis vicibus ſibi extortam, reddit parum, vel nihil, immutatam. Eademque facilitate, et fide, ſcriptura, imaginis interpres, in copioſiſſima transfertnr exempla: vt animata ſit imago in numo expreſſa, nec nutu ſolum, ſed et voce quaſi, moneat ſpectatorem. Fraudi cum eſſe poſſet tenuitas molis, crebraque locum dominumque mutandi neceſſitas, duplici tamen modo, vt diligentius ſeruentur numi, animos hominum ſibi conciliant, pretio et forma elegantiori. Quare numorum fidei memoriam tuam, vel cuiusque bene meriti, multis de cauſſis non male credas.

Animam itaque monumenti dicas litteras; ipſumque his monendi inſtrumentis inſtructum monumentum recte appellaueris ANIMATVM. VIVVM forte quis, nec male, appellari mallet; niſi iſtius nominis de-

cus

cus ſingulari, et praeſtantiſſimo, monúmentorum generi ſeruandum, dicandumque, videretur; illi nempe monumento, quod memoriam eius, cuius famae inſeruit, aeternam reddere aſſidue *laboret*, eamque, ſi quando in tanta rerum memorabilium multitudine obliterata quodammodo ſit, apte in priſtinum ſplendorem reſtituat. Cuiusmodi aeternae praeſidium laudis cum meritiſſimo ſit cuique optandum, ſi quis, quomodo comparari queat, curioſius forte requirat, huic ingenuae ſciendi cupiditati, vt per nos expleatur, non deerimus. Viuo nimirum monumento non marmor vllum, non puriſſimum aes, ſatis aptum eſt, ſed hominum ſolummodo ingenium; quod, agendi cogitandique vi inſtructum, et ſcire, quid ad aeternam memoriam valeat, et in hac ipſa conſeruanda, et propaganda, laborare poteſt. Deinde, cum plebem rerum praeteritarum vel nulla, vel exigua certe cura tangat, ac ne eos quidem, qui negotiis, tametſi grauioribus et illuſtrioribus, implicantur; monumentum viuum, niſi in ſodalitate doctorum virorum, eſſe non poteſt. Sed nec omnes, quos doctos ſalutamus, cura priſcarum tenet rerum: vtpote

vtpote quorum alii rebus a ſenſu et conſpectu hominum penitus remotis, indagandis et proferendis in lucem, inuigilant; alii rebus quidem obuiis animi pariter atque oculorum aciem intorquent, ſed arcana tamen tantum naturae, non res hominum geſtas memoriasque rerum rimantur praeteritarum. Quapropter litteratorum hominum, quae viuum referat monumentum, ſodalitas, non vnius doctrinae alicuius profeſſoribus conſtipata, ſed ex omnium doctarum artium cultoribus debet eſſe mixta; quo ſcilicet, dum quoduis doctrinae genus a ſuo in ea ſocietate procuratur antiſtite, nec praeteritarum rerum, nedum illius rei, virique, cuius monumentum iſta ſodalitas eſt, vnquam inualeſcere poſſit obliuio. Atque hic nemo non noſtrarum imaginem cernat ACADEMIARVM; quas, facile patet, abunde omnes paullo ante a nobis deſideratas optimi monumenti continere dotes. Perennitatem deſideras? hanc Academiis, quarum nonnullae ipſam regnorum diuturnitatem vicerunt, ineſſe poſſe quis dubitet? Foecunditatem, nouaque gignendi monumenta vim poſtulas? iſt-

hanc, vbi tandem reperias, niſi in ipſis Academiis, vbi ex opere opera, ex libro libri, repetendo, commentando, emendando, amplificando, quotidie naſcuntur; et, quod aliquamdiu neglectum eſt librorum, vel doctrinarum, genus, id tanto impenſiori ſtudio ſuo tempore recolitur, et, multiplicatis eam in rem commentariis, ad vitam quaſi, priſtinumque ſplendorem, reuocatur. Animati monumenti naturam habere Academiam, inde liquet, quod omnia ibi litteris, et commentariis, gerantur; quorum quilibet tantum facundiae, et quandoque plus, apud lectores, quam ipſum autoris os apud auditores, exerere, vſu rerum monente, ſolet. Praecipue autem viua doctorum vox, qua, quicquid traditur, veluti reuiuiſcit, longe plus valet in inſtauranda illuſtriorum hominum memoria, quam ornatiſſima quaeuis, et ſignatiſſima, monumenta. Vt itaque Academia in optimum, et vitae pleniſſimum, euadat monumentum, hoc vnum debet accedere, vt adſint cauſſae pro memoria eius propaganda laborandi, qui ſpem memoriae in Academia collocat: quae ſane ſunt maxi-

maximae, et inſitae, in perſona Conditoris, eiusque, qui ſacram Conditoris voluntatem conſilio ſuo, ac fide, adiuuit. Non enim graditudo ſolum, cuius ſenſus in doctis hominibus eſt praecipuus, impellit eos ad perpetuandam originum memoriam, ſed et iuſtus opprobrii metus, ne ſocordiae damnetur ab exteris ſui conditoris turpiter ignara ſodalitas. Licet deinceps aliis multis ad eius gloriae faſtigium bene merendo, amplificandoque ſtantem iam, et ſuis viribus nixam ciuitatem litterariam, magis minusue prope aſſurgere; eoque melius de memoriae ſuae ſempiternitate ſperare, quod non homines auaros, et duros, ſed ad humanitatem litteris excultiſſimos, nanciſcuntur monumenti ſui conſeruatores, qui, cum libentiſſime in rebus illuſtribus laudandis commendandisque, verſantur, quidni memoriam viri, merito vel non maximo ſibi commendatam, abundantia quadam gratae mentis, habituri ſint ſibi commendatiſſimam? Fas tamen nunc nobis eſto, eiusmodi maxime ſpectare, et laudare, fortunam viri, qui Sodalitati, quam plurimis

pro viuo monumento futurae, ſic coniunctus ſit, vt innumera illa monumenta vnius iſtius, optime ſcilicet inter omnes meriti, ampliſſimum monumentum efficiant.

Cui autem, haec legendi, exemplumque circumſpicienti, non ſtatim ſuccurrat celebratiſſimum Nomen Perilluſtris atque Excellentiſſimi Viri, Domini DANIELIS de SVPERVILLE, Sereniſſimo Patriae Patri a conſiliis ſanctioribus, Academiae noſtrae Curatoris et Cancellarii perpetui. Contigit ſummo Viro ſingularis felicitas gratiam merendi immortalis noſtri Principis, huiusque ſanctiori voluntati, ſtabiliendi nouam omnium bonarum artium et litterarum ſedem, ſic obſequendi, vt negotii tam ardui, et ad perpetuam Ditionis Brandenburgicae Culmbacenſis felicitatem ſpectantis, primas partes clementiſſime ſibi demandatas nonſolum ſuſceperit, ſed et feliciſſime ſuſtinuerit. Comparauit itaque ſapientiae ſuae vi, et zelo, Principi, ſalutem ſubditorum vnice anhelanti, monumentum viuum atque aeternum: idem autem, dum publicae vtilitati, ac iuſtae in Principem pietati, inſeruit, rem prae-

praeſtat tam illuſtrem, et ſtabilem, quae ipſi quoque, vel nolenti, non poteſt non eſſe pro optimo, viuoque, immortalium meritorum monumento. Nomen non ſolum Eius, ſed et vultus tanti moliminis index, atque clariſſimum factum, quo inter ſummos ſibi locum aſſeruit viros, innumeris tabulis varii generis, numisque, vt deleri nulla ratione poſſit, inhaeret: atque horum ipſorum monumentorum cuſtodes habet Academiae noſtrae, quotquot ſunt, et futuri ſunt, doctores. Hi, ſusceptis quaſi cum obliuione inimicitiis, pro memoria tanti Viri, memoriae Immortalis Noſtri PRINCIPIS et CONDITORIS implicata, ſic, multiplicatis monumentis, laborabunt, vt, conſtanter propagata, inſtauranda nunquam futura ſit. Atque eius rei exemplum, proximo die IV. Id. Aprilis dabit, Vir Summe Venerabilis, Dominus Ioachimus Ehrenfried Pfeifferus, Sacroſanctae Theologiae Doctor et Profeſſor Publicus Ordinarius, Dioeceſeos Erlangenſis Superintendens, Collega noſter coniunctiſſimus; Oratione ſolemni merita Excellentiſſimi et Perilluſtris viri, renouata gratiarum

actione, ſusceptisque pro perpetua eius incolumitate votis, dignis proſequetur laudibus. Cui celebritati Illuſtriſſimum S. R. I. Comitem, Illuſtres Barones, Generoſiſſimos Nobiliſſimosque Academiae Ciues, libenter et ſtudioſe affuturos, non dubitamus, omnesque cuiusuis ordinis litteratos viros frequenti ſua praeſentia ornamentum egregium allaturos confidimus. P. P. Dom. Palmarum. A. R. S. MDCCXLVIII.

VII. DO-

VII.
DOCTA CASTRORVM CONSIDERATIO.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS

PRO-RECTOR

CIVIBVS SVIS

S.

Caſtra in Belgio praemature facta neminem non in grauem adducunt expectationem magnarum cladium, vltro citroque inferendarum : quas, fore vt aequis citae pacis conditionibus prohibeantur , optent forte plures, quam cum fiducia ſaltem mediocri ſperent. In caſtrorum ergo cogitatione, ab hoc tempore, verſabuntur multi , nonſolum tantarum, quas ampliſſimi omnibusque rebus inſtructiſſimi exercitus moliuntur, rerum periculis iamiam impliciti, vel mox implicandi, ſed et locorum interuallis maxime disiuncti. Plerique rerum gerendarum magni-

tudine, varioque partium ſtudio, in ſpem metumque alternis vicibus abrepti, linguis votisque, vt quondam conſueuerunt in pace conſiliis principum, ſic hac tempeſtatę caſtris hinc fauebunt, hinc male precabuntur. Quos autem, vtra pars vicerit, nihil iuuat, ex his tamen alios captandi ſpes lucri, alios cognoſcendi militaris moris excitabit curioſitas, vt, rem inibi ſuam agi opinantes, alterutris caſtris ſuae ſtudio voluntatis adiungantur. Ac ne doctos quidem homines multos, quamquam totum id genus nec finibus imperii ampliandis militare, nec lucro, debeat, facile reperias, qui, in hoc quidem bello, oculis ſatis aequis aduerſa cernant caſtra, odioque et amore pariter vacui, non hoſtilia illinc, hinc amica agnoſcant, vna cum ſignis, agmina. Alios quippe amor patriae quieſcere non patitur; alios laeſae praeter rem pacis iniuria expetendae vindictae reddit ſtudioſos; alii, vt priuatas amicitias, inimicitiasque, non ſatis aequa moderantur ratione, ſic, populis quoque iniqui, alterutrum exercitum votorum ſuorum agminibus, vtique leuiſſimis, augendum tamen

; putant.

putant. Quid quod doctrinae, qua imbuti ſunt, genus permultos adigit, vt euentum belli non tranquilli expectent, ſed ex animi ſui ſententia ſtudioſe fingant, talemque, qualem a magiſtris ſuae inuidiae conducibilem fore didicerunt, vehementer exoptent. Neque enim obſcura ſunt praecepta illa a perſonato Hippolito a Lapide olim tradita, quae cum clariſſimi deinceps viri probarint, diſcipulisque identidem inculcanda iudicarint, ingens iam litteratorum hominum multitudo exiſtit, qui ſuarum iſthoc bello doctrinarum autoritatem diſceptari arbitrentur, illisque bene cupiant caſtris, vnde opinionibus ſuis ſpes victoriae multo iucundiſſima portendatur.

Vidimus paucos ante annos, virum rei mathematicae ſingulari doctrina longe lateque illuſtratum, dum in caſtris, atque in ipſo acerrimo proeliantium conflictu, verſatur, ab hoſtibus captum, nonſolum benigniſſime habitum, ſed et multis modis ornatum, e tanto diſcrimine rediiſſe. Saluti viro fuit, quod omnes intelligerent, eum non de limitibus imperii iſthoc proelio di-

rimendis, ſed de terrarum orbis finibus, conſilia agitaſſe, iisque non vi et armis, ſed ingenii et inſtrumentorum acie, definiendis. Quam quidem ſanctitatem, quam tribuere fecialibus gentes omnes conſueuerunt, omnibus doctis conſtantem ſeruari optamus, vt in mediis nimirum caſtris, vel officii cuiusdam, vel diſcendi, cauſſa, deprehenſi, ipſis tamen hoſtibus innocentes, ac neutrius ſemper, vel potius vtriusque, partis cenſeantur. Ita nimirum facilius doctis hominibus ſua dignitas prae caeteris, qui et ipſi inter armatos forte, neque corpore neque animo armati, verſantur, melius conſtabit; ſi *neutrius partis* eos dixeris, qui neutri parti nocent; *vtriusque partis* autem, qui vtrique parti proſunt. Atque huc amabilis illa doctrinae, praeſertim ad noua vsque praecepta eruenda penetrantis, vis ſpectat, vt non vni alicui genti, ſed omnibus, proſit, omniumque beneuolentiam mereatur: quo ingenii ſui fructu merito perfruuntur ii, quibus, cum eximiae cuiusdam artis ſint antiſtites, ex ſociis, non ex ingenio, aeſtimari, et in hoſtium numero haberi, aliquando contingit.

Neque

Neque enim idoneae deſunt cauſſae, quae docto iniiciant deſiderium caſtra aliquando ineundi, quaeque in rerum militarium vſu eminent, ingenii humani inuenta ſuopte ſenſu cognoſcendi. Quicquid certe pulchrum, aut in quocunque rerum genere excellens, eſt, eius cognitio docti hominis vtilitati pariter, atque voluptati, inſeruire poſſe, ac debere, videtur. Iam in caſtris adſunt plurima egregia, alibi minime conſpicienda. Praeſto eſt laboris, eiusque aſſiduis periculis circumſepti, patientia: quam cum in ſingulis quandoque non ſine admiratione ſpectamus, quanto plus ſpectatori Pſychologo afferre debet admirationis, vbi ab integris cohortibus et legionibus, nec ſine aemulatione, exercetur. Adeſt oeconomiae ſingularis ſpecies, in qua quicquid rei familiaris adminiſtratio difficultatum habet, abunde conuenit: anguſtia loci, victus parcitas, mediocritas ſumtus, migrationis, eiusque praeproperae, continuus metus, ſummaque ſupellectilis raritas. Sanctitatem eximiam in caſtris nemo facile, conſuetudinis delectuum habendorum memor, deſideret: Iſtam virtutem requirenti, caſtra

ange-

angelica, qualia Iacobo e Meſopotamia redeunti apparuerunt, expectanda, aut imago certe iſtorum caſtrorum, animo et acriori cogitatione, quantum fieri poteſt, inſtauranda eſt. Interim diſciplinae perfectae exemplum nullibi illuſtrius, quam in caſtris, cernas: vbi ad nutum, et ad tempus, omnes res adminiſtrantur, neque vlla aut non parenti venia, aut ſegnius parenti, datur. Quae obſequendi neceſſitas multis prope ad ipſam virtutem ſaepe profuit; qui, dum temporis momenta accuratiſſime partiri, officiaque militaria ſtrenue obire coacti ſunt, paullatim officiis quibusuis rite obeundis ſunt adſuefacti. Nec imperii, per varios certisque limitibus circumſcriptos gradus, ab vno capite, quaſi a fonte, ad minimos praefectos, deriuatio, quam, proprio nomine carentem, vocabulo non Latino, ſubordinationem vocant, vllibi ſic colitur, vt in ſenſus etiam incurrat, niſi in caſtris: ibi et *res* manifeſta ratione conſpicitur, et incredibilis eius *vis* ad regendas immenſas hominum copias, atque ad grauiſſima quaeque molimina feliciter perficienda. Nos, qui ex caſtris litterariis, id

eſt,

eſt, ſanctioribus et pacis commodis vndique florentibus, apparatus bellicos procul conſpicimus, quicquid praeclari vbique terrarum vel paratur, vel geritur, id vt a Ciuibus noſtris, quos caſtrenſi more Commilitones appellamus, obtineatur, perficiatur, vehementer optamus: ne diligentiae fama ab vllo hominum genere ſuperentur; ne qui vnquam, mutata voluntate, litterarum contemtores,aut per inertiam deſertores, exiſtant; ne dedignatio parendi aequiſſimis legibus quemquam inuadat; ne quem ſacramenti, quo ſe pietati et humanitati deuouit, obliuio occupet; ſed omnes ac ſiguli ſuo tempore, iam tum multa laude ornati, ad praemia diurni nocturnique laboris capienda diſcedant. Imperium, quo nec ciuitates, nec caſtra, carere poſſunt, ſic adminiſtrandum cenſemus, vt litterarum vis, et vtilitas, in ipſo Academiam regendi more conſpiciatur. Quod quidem grauiſſimum munus cum, autoritate SERENISSIMI PATRIAE PATRIS AC RECTORIS NOSTRI MAGNIFICENTISSIMI, per aeſtiuum ſemeſtre, vir Summe venerabilis, IOACHIMVS EH-

EHRENFRIED PFEIFFERVS, Sacroſanctae Theologiae Doctor et Profeſſor Publicus Ordinarius, Dioeceſeos Erlangenſis Superintendens, geret; craſtina die cum ceremonia tradendorum inſignium, publica a nobis pro incolumitate, et incrementis, Academiae noſtrae coniungentur vota; eaque ſolemnia Illuſtriſſimum S. R. I. Comitem, Illuſtres Barones, generoſiſſimos nobiliſſimosque Ciues, multosque rebus noſtris bene cupientes cuiusuis dignitatis viros frequenti praeſentia amplificaturos eſſe, nulli dubitamus. P. P. IV.

Non. Mai. CIↃIↃCCXLVIII.

VIII.

SVMMA PVLCHRITVDINIS GENERA.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS

PRO - RECTOR

CIVIBVS ACADEMICIS

S.

Iam pridem cogitatis ſuis quam ornatiſſimum reddidiſſe orbem laudi ſibi duxerunt eius incolae meliores, exploſis nimirum ante omnia terriculis, quae timor, et iners ratiocinatio plebis, rarioribus, et hinc illuſtrioribus, affinxerat naturae ſpectaculis. Si quid iam minari natura, certe non

non regnorum et ciuitatum, nedum ſingulorum hominum, damna, ſed ipſius orbis ruinam, portentis minari, vel potius ſuo tempore creditur minatura. Gnauiter, et docte, ſpectata triſtiora, coeperunt, depulſis minis, fieri iucundiora. Sed antiqua orbis ornamenta ſimili arte, atque induſtria, in immenſum, breui et numero, et dignitate, creuerunt. Vni, quem, niſi adorando, non ſatis coli, pars gentium maior cenſuit, totidem, quot ſunt ſtellae, nec minoris maieſtatis, acceſſere ſoles, atque hi, ex repertis nouiter ſtellis, innumeri. Luna, in oppoſitam Terrae Terram ſpectando verſa, non ſola iam moderatur noctem, ſed pluribus ſui muneris gaudet ſociis, in celſioribus orbis ſphaeris, natas ex auerſo ſole tenebras placide mitigantibus, et ſibimet ipſis inuicem reddentibus mox, mox aufferentibus, lumen. Vehimur Terra, tenuiſſima corporis noſtri mole aucta, inter medios ſoles, medioſque opacos orbes, adſcititio lumi-

lumine fulgentes; rependitque coeleſtibus corporibus globus noſter acceptum iubaris beneficium, ſuum quoque inter ipſa ſidera tuendo locum.

Ab iſtis autem, quibus deſuper cingimur, naturae miraculis, maxima animum voluptate implentibus, ad veſtigia noſtra, et, qua tangitur, orbem conuerſi, immenſa iterum pulchritudinis cognoſcendae ſubſidia, coniunctis, Academiarum nomine, ſummorum virorum ſtudiis, deprehendimus nobis tradita. Quam enim ex amplitudine, et ſplendore, admirationem habent ſidera, eandem infinita diuerſiſſimarum partium ſtructura merentur animalium corpora; quorum artificioſiſſima compages nondum quidem tota, eouſque tamen iam eſt patefacta, vt quodlibet eiusmodi corporis exemplum non tam exigua mundi pars, quam mundus ſingularis, ſed venuſtiſſimum in compendium miſſus, facile reputetur. Atque hic nonſo-

lum ipſe adſpectus, ſed et ipſum ſpectandi, et in conſpectum producendi, multiplex artificium, animo ignotam maioribus iniicit admirationem. Nec omne plantarum genus diligentiam ſcrutantium aut minus exercuit, aut minoribus ſtructurae miraculis penſauit, niſi quatenus ipſa herbarum arborumque ſenſu carens natura per ſeſe concedit animalium dignitati. Et tamen id ipſum dignitatis detrimentum vel cineres ſatis vindicant, priſtinae naturae tam tenaces, vt plantae inde inſtauratae ferantur, atque ad vitam quaſi reuocatae: cum quo portento vix in animalibus, quod conferri mereatur, reperias. Sic diuturna, et ſedula, contemplatione non exhauſta naturae miracula, ſed ſaltem ad ſtuporem vſque cernimus multiplicata; idque multis adhuc aliis corporum generibus contigiſſe gaudemus, inprimis illi omnis ſaporis et guſtus parenti, ſali, cuius myſteria et ad vtilitatem, et ad oblectatio-

ctationem mentis curioſae, accommodata, multo altius noſtrum, quam ſuperius, inſpexit ſeculum.

Sed temperamento ſingulari naturae dotes corporibus deprehendimus diſtributas. Animalium corporibus, ob vitam, ſumma ineſt artuum, atque partium, mobilitas agilitaſque; pulchritudinis magna, ſed eo rarior, vis; fulgor mediocris: in plantis, et quicquid e terra a tenuiſſimis initiis excreſcit, praeſertim in floribus, immenſa varietas haeret pulchritudinis, ſed placidae itidem, nec receptos radios vibrantis: lapidibus autem ſplendorem plane eximium, eumque hinc purum, hinc colore imbutum, natura indidit; quorum perfectiſſimi, in quolibet genere, gemmae appellantur. Atque haec ſunt antiquiſſima Terrae noſtrae decora, quae animos hominum, vel non delicatorum, nullo non tempore, ſui deſiderio faſcinarunt.

Hic autem prope mirari ſubit, cum in maximis minimisque naturae operibus doctorum hominum ingenio atque opera, et vbi nulla quondam fuit admiratio, iam magnae, et vbi quondam fuit, iam multo maiores, admirandi cauſſae ſint repertae: quid ſit, quod in iſtis conſummatis naturae operibus, nihil nouae doctrinae, quae ad maiorem paulo admirationem ſpectet, aeuo ſit traditum recentiori? Non niſi antiqua ſua autoritate fruuntur gemmae. Quid quod princeps omnium gemma, adamas, detractis, quas antiquus ipſi error affinxerat, virtutibus, longe nunc minus, quam olim, habeat non quidem verae dignitatis, ſed ſtuporis. Num, quae omnium capiunt animos, doctorum ſaltem hominum animos minus vellicant? an vero illa gemmarum auſteritas, ac durities, inſtrumentorum aciei inimica, ipſam quoque quodammodo frangit, et obtundit, aciem ingeniorum? Acceſſit tamen

men nuper ad adamantis fulmen, fortiori oculo contemplandum, Georgius Matthias Boſius, Vitembergenſi Academiae muneris vinculo, pluribus exteris Academiis nominis celebritate, coniunctus, per aſſiduum electricorum ignium vſum, ad puriſſimum quoduis lumen accuratius aeſtimandum, feliciter enitens. Forteque erunt plures, qui pari naturam, qua venuſtiſſima eſt, ſpectandi zelo commoti, augeant inuentis, amplificentque, coactam in arctum illam naturae rerum maieſtatem.

Nobis nunc, per SVMMA PVLCHRITVDINIS GENERA, quaeſitus eſt aditus, ad commemorandas SERENISSIMAE PATRIAE MATRIS celſiſſimas ſplendidiſſimasque virtutes: non quas huius paginae complectatur anguſtia, ſed in quarum acriorem cogitationem nos adducit Nonarum V. Quinctil. ſplendor. Exultamus iſthoc die natam eſſe Regiam

Principem, regiis vndique condecoratam dotibus, id eſt, fulgentiſſimis ſuauiſſimisque, neque ad iucundam ſolum, et piam, contemplationem innumerorum felicitatem pertinentibus. Animus nempe eſt PRINCIPIS AC DOMINAE NOSTRAE, condigno corporis ſplendore incluſus ac circumdatus, qui ſparſis longe lateque pietatis, ſapientiae, clementiae, ac doctrinae exquiſitiſſimae radiis, ſpectatores cuiusque generis noua, et ſancta, demulcet admiratione. Non ſimplex, et vna, in Iſta Regia mente virtus, quae omnes pariter ſimilique tangat actione, elucet, ſed multiplex et varia; vt, qui in deuotiſſimi cultus ſenſu conſentiunt, diuerſis tamen cauſſis, ſuo cuiusque ſenſui rectoque iudicio accommodatis, moueantur. Sic nimirum adamas, in tanta ſuorum multitudine angulorum, et quaſi frontium, non eodem omnes, ſed ſemper alio, atque alio lumine diuerſis collocatos locis

recreat

recreat ſpectatores, habetque ſummam fulgoris, vt perennitatem, ſic foecunditatem. At! quod eadem gemma, praeſertim ſi quae ſit illuſtrior, minoribus ſui generis gaudeat cingi, non tam augendi ſplendoris cauſſa, quam vt genuiſſe etiam, ne quid laudis deſit, videatur; id eo verius in Patriae noſtrae Matrem conuenit, quae non genuit ſolum, ſed ad Suum etiam, id eſt, perfectiſſimum, exemplum inſtituit PRINCIPEM FILIAM SERENISSIMAM, adhuc quidem MAGNAE MATRIS latus pulcherrime cingentem, mox autem per Seſe in alia Germaniae parte, in Sua Aula, et digna ſtirpe Sua Sede maxumam laetitiae, et admirationis, vim procreaturam. Iam a Fridericiana Academia MATREM PATRIAE, quo magis EIVS ſingulari gratia colluſtratur, eo impenſiori gaudio, et contentione, coli par eſt. Praeſentis itaque laetitiae interpretem aget, Vir Experientiſſimus,

tiſſimus, Matthias Georgius Pfannius, Medicinae Doctor et Profeſſor Publicus Ordinarius, cuius Panegyricae Orationi craſtino die, hora conſueta, auſcultandae, vt Ciues Genere, et ſtudiorum claritate, conſpicui, et quotquot Vrbem ornant, litterarum fautores, operam dent, ſuumque noſtro gaudium miſceant, enixe, magnaque cum fiducia, rogamus. P. P. Feſto Viſit. Mariae A. R. S. cIↃIↃCCXLVIII.

IX. SA-

IX.

SACER SILVARVM HORROR.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS

PRO - RECTOR

CIVIBVS ACADEMICIS

S.

Saltus, ſiluoſamque Eremum, dum aeſtiui ſoles terram premunt, iugiter habitare pridem conſueuit SERENISSIMA PATRIAE MATER, ibique, vna cum SERENISSIMO PATRIAE PATRE, mutati quaſi coeli orbisque puriſſima, ac plane auguſta, perfrui voluptate. Tantum itaque, inquis, intereſt inter apertum coelum patentesque cam-

poſ, atque inter circumſeptas arborum denſitate vmbras, vt, qui huc ſeceſſerit ſub alio iam coelo, et in alio orbe, verſari ſibi videri poſſit? Quidni vero? Quod ſi enim difficile dictu putes, parumque veriſimile, tam breui migratione, ex vrbe nimirum in propinquum nemus, alium orbem, aliud coelum, quemquam conſequi, vel cogitando, poſſe; quid de Plinii fide tandem fiet? qui, quod grauius adhuc dictu eſt, cum Tuſcos ſuos adiret, ALIO ſibi SECVLO natus videbatur. Lib. V. 6. Nequaquam enim tale quid perſuadere Apollinari ſuo, aut polliceri, auſus eſſet, niſi is cum maxime ſuo ipſius ſenſu, atque experimento cognitam rei veritatem habuiſſet. Cernas iam, et ſubductis probe rationibus decernas, vtrum difficilius ſit, in alium orbem, an vero in priſtinum ſeculum, breuioris itineris beneficio, animum transferre? Vtrumque tamen, quod negare

re nollem, vix ſatis percipiant, nedum recte diiudicent, niſi mentes elegantiores, erectiores, et ad aeſtimanda naturae ſpectacula, magis minusue blandientia, paullo magis adſuefactae. Agreſtis quippe animus, ad inſtar ſui corporis, quo tegitur, callo quaſi obductus, nihil ſentire, nihil in honeſtae voluptatis cauſſis numerare ſolet, niſi forte quid membra, ad ſentiendum comparata, vellicet vehementer, immo tundat ac prope obtundat. Idem, rebus abſentibus praeſentibusque inter ſe comparandis, ob cogitandi tarditatem, impar, impreſſas ſibi ab obiectis rebus formas atque imagines non varias in partes verſat, non acumine iudicandi recludit, non ad ſpectandi voluptatem refert, ſed ad alendae familiae, quaerendique lucri vnice vtilitatem. Itaque is multa non cernit, quamquam ſint praeſentia, quae cernit animus elegantior; multisque rebus non mouetur, vnde felicitatis

tatis quandam partem, gaudendique materiem, et triſtitiae remedium ſibi effingunt atque efficiunt mentes hilariores. Sic infi- cetus colonus rus ſuum atque nemus iuxta colit, alterumque ex altero, prout rei familiaris exigit vſus atque neceſſitas, pari cogitatione, cura, labore, complectitur: neutrius ſpectator curioſus et hilaris, ſed vtriusque ſeruus triſtis, anxiusque nunquam non iuſtae mercedis. Cui vero otii ſatis atque ingenii datum eſt a fortuna, vt ex ipſa contemplatione orbis non corruptam ſeruilibus curis voluptatem percipere poſſit, is ſiluarum vmbras longiſſime anteponit aruorum montiumque apricitati; aut, ſi non anteponit, certe disiunctiſſima iſta conditoris munera, diuerſa diuerſis temporibus amplectitur admiratione. Sane, cum et ſiluarum, et camporum, vſus ſuam habeat ſuauitatem, quam alternis plerique appetere ſolent vicibus, incertum videri poſſet, ſitne

ſitne omnino aequalis vtriusque voluptas, an vero, prae campis, ſiluae noſtro optime conueniant ingenio? Attendentibus tamen ad communem hominum ſenſum, appetitionisque noſtrae legem, mox patet, infinitum illum viſum oculos primum quidem oblectare, paucis tamen interpoſitis momentis fatigare, vt aut propinquam aliquam, et arctiorem, rem quaerant, cuius familiari obtutu reficiantur, aut ad ſubiectam pedibus terram, quaſi proſtrati, demittantur. Porro nimia illa coeli diſtantia, dum nihil corpori noſtro propinquum ſiſtit, nuditatis inſtar eſt, cuius vndecunque remedium ſibi adſciſcere cupit animus, nuditatis impatiens. Neque enim quisquam vel conſiſtere commode aliquo in loco, niſi quadam ſit ex parte tectus, nedum quieſcere, aut plane habitare, ſibi poſſe videtur. Haec noſtra deſideria, quae, vt expleta, minus a plerisque ſentiuntur, non-

nonſolum explet viride nemus, ſed et aliis modis, ne de aurium voluptate, ipſaque aurae, quam ibi trahimus, fragranti pinguedine quid dicamus, animum recreat. Iucundum eſt, quod denſitas illa arborum, quae intercipit viſum et quaſi repellit, toti tamen noſtri corporis moli facilem permittat transitum, vt nobis vndique concluſis et circumſeptis, quocunque tamen placet, longiſſime liceat prodire: illud vero ſuauiſſimum, quod, quae ambulando relinquimus, loca ſenſim paulatimque tenebris noctique immergantur, et, quae immerſa apparebant, ſimulac propius acceſſeris, affuſo quaſi ſemper maiori lumine, colluſtrentur, vt tutemet, acceſſu tuo, inferre reconditis ſiluae partibus, ferarumque cubiculis, lumen videare. Hic demum ſeſe ab omni latere ſatis munitum, hic deſuper, ſine omni ruinae ſuſpicione, ſatis tectum, ſimulque, cum per innumeras porticus iucundi

cundi totidem exitus pateant, ſatis liberum putat animus: hic lumen orbis ſe arbitratur; huiusque felicitatis ſuae conſcientia commotus, ad pietatem erga habitationis tam iucundae conditorem eſt pronior. Hinc ſanctus ſiluarum horror, ipſi Numini, quousque idolis ſiluae caruerunt, non improbatus, poſt multiplici turpitudine contaminatus, ſed per Seruatoris tandem diſciplinam cuncta ſuperſtitione perpurgatus. Quae cogitata noſtra ad explicandam ſiluarum voluptatem ſpectantia, non aliena videntur a craſtinae diei laetiſſima celebritate. Datum eſt enim Viro illuſtri atque conſultiſſimo, IOANNI GOTTLIEB GONNIO, Sereniſſimo Marggrauio a Conſiliis aulicis, Iurium vtriusque Profeſſori ordinario, Academiae noſtrae hoc tempore Procancellario, id negotii, vt in ipſo SERENISSIMAE PATRIAE MATRIS Natali, et publicas gratiarum actio-

actiones ſummo Numini perſoluat, et perpetuam Eius incolumitatem ſolemnibus precibus exoptet. Quod quanto ſtudio facturus eſt Collega nobis coniunctiſſimus, optimeque meritus, grauiter praeterea DE PRAEROGATIVIS FOEMINARVM ILLVSTRIVM GERMANARVM dicturus, tantam audiendi benignitatem Perilluſtrem atque Excellentiſſimum Academiae Curatorem, beneuolentiam atque cupiditatem, Illuſtriſſimos S. R. I. Comites, Perilluſtres Barones, cunctosque Nobilitate et virtutum decore conſpicuos Academiae Ciues, allaturos eſſe ſperamus. P. P. Feſto Viſitat. A. R. S. cIↃIↃCCXLIX.

INDEX.

Academiarum vtilitas] 273
Adamus 292. 294
Aduentus Seruatoris quid 63
Aegyptii quibus rebus claruerint 148
Aetas hominum prima noſtræ diſſimilis 154
Angeli Seruatoris interpretes primi 62
Annalium definitio 236
Antiquitas generis humani 148
quaenam eam explicatu difficilem reddant 154
fidei ſalutaris partem conſtituit 159
earum praerogatiua 162
cultura 163
ἀποδοχῆς gradus 65
genus 70
Artium principia 117
Auguſtinus qualem regulam ad ſcriptores ſacros tranſtulerit 11
Automatum Leibnitii 228
Autore quando opus 77
Autoritas vnde dicatur *ibid.*

Beuerlandus notatus 164

Caſtrorum jucunditas et ordo 283
Commentarii definitio 236
Creationis modus an ab hominibus cerni poſſit 13

Deus *quomodo creat* 17
Diuortium Sanctii a Perizonio 117
Docere quid ſit 258
Documenta 233
eorum ſpecies 237

Eden, hortus 158
Epiphanius primus iconoclaſtes 124
Errores grammaticorum condemnati 101
Familiaritas *carnis* 19
Fenni 188
a Tacito deſcripti 190
Fidei definitio 75
quando fides a ſpectatore deriuanda 80
Grammaticales naeui condemnati 106
Hiſtoria creationis 19
eius capita 233
Homiliarum ſpecies 140
Homo melior 159
Inſtrumentorum definitio 207. 213
notio 209
Intellectus noſter quomodo comparatus 27
ejus indoles 65
Interpretatio quando incerta 156
Interpretes quid experiuntur 28
Iudaei quare improbi 164
Labor grammaticus 157
Lactantius terrae rotunditatem exagitat 25
Leibnitius laudatus 128
Litigantium votum 135
Longaeuitas hominum priſcorum an poſſit negari 153
Lucilius a quibus legi ſua voluit 22
Lux veritatis 26
Machina 119
eius definitio 221. 223
quomodo in mechanicam tranſeat 227
Macrobiorum generatio portentoſa 178

Meteo-

Moeteorum philoſophicum 81
Miniſtri verbi 82
Monumentum mutum, foecundum 268
animatum, viuum 271
Moſis enarratio hiſtoriae creationis 8
quid ſuo ſcribendi genere cauerit 23
ab Iſraelitis non auditus 53
Motus continuus vnde 227

Negotiorum varia genera 250
Notio vulgaris retinenda 208
in definitione philoſophiae non extat 211
grammaticarum notionum indoles 116

Ονομαθεσία 156
Ordo 224
ὄργανα 209

Pandectarum definitio 51
Paradoxon quid 24
Peregrinatores noſtri quid reportant 161
Philoſophia iſtrumentalis quare ſic dicta 211
Philoſophi qui dicantur 20
Plinius optimus Trajani laudator 169. 257
illius gloriae nocuit 171
qualem legem dicendi ſibi ſcripſerit 174
Poeni 149
Praxeos definitio 247. 249
Praedeſtinatio 84
Praeuaricationis crimine qui condemnandus 115
Princeps, cuiusque virtus ſumma 173
chriſtiani cura 175
Principium mutationum intrinſecum 228
Promulgationis legis explicatio 92
Protoplaſti 159
Pyramides Aegyptiacae quare poſitae 267

Reſurrectio Chriſti qua ratione diſcipulis demonſtrata 36
eam docere volenti quaenam obſeruanda 44

Sacrificium primum 159

INDEX.

Scripturae definitio 234
  ſpecies 239
  qualis ſermo eam deceat 11
Scriptoris conditio qualis 21
Senſuum vis 39
Series 223
Seruator fidei excitandae artem non neglexit 43
  dolorum leuamenta docuit 50
  illius aduentantis interpretes primi 62
Siluarum voluptas 297. ſq.
Solatii definitio 52
  gradus primus 55
Spectator 75
  quando fides ab eo deriuanda 80
Stapferus notatus 87
Statuae Rolandinae 270
Stoici philoſophi 253
Subordinatio 223
  inſtrumentorum corporeorum 225
Suffragator quis 78
Tabula 235. 237
  Teſtis officium 76
  teſte quando opus 77. 79
Traianus num literarum amator 170. 172
Triſtitiae definitio 51
Typographi monumentorum adiutores 269
Vectium affectio 227
  Veritatum genera 231
Vita beata 189
Vocationis hominum ad ſalutem vniuerſalitas 86
Zeno vituperatus 253

Corrigenda.

Pag. 19. *lin.* 4. *deleatur* quam. p. 103. *lin.* 16. l. ordinis. p. 117. *lin.* 23. l. experientiae. *ibid. lin. vltim.* l. confirmata. p. 156. *lin.* 4. l. contemnenda. p. 168. *No. V. in Inſcript.* l. LITERIS. p. 269. *lin. antepen.* l. praeclarum. p. 275. *lin.* 3. l. gratitudo. p. 276. *l.* 5. l. legenti.
Reliqua forte omiſſa B. L. benigne excuſabit.

VA1
151S238

Google

£2-

116
B
92.